EPISTOLÆ SELECTÆ
CICERONIS, PLINII, BEMBI.

&

Senecæ, ac Sabellici nonnullæ.

Argumentis, quoad fieri potuit, claris, & Annotationibus Victorii, Manutii, Hibertini, Catanæi, &c. illustratæ. Præterea, majoris commodi & utilitatis gratiâ omnes in suum quodque genus digestæ, ac suis Responsionibus, seu formulis Responsionum adauctæ. Denique Notionibus Rituum, Magistratuum, Ludorum, & ceterarum Antiquitatum Romanarum, quæ in omnibus his Epistolis occurrere possunt, priùs positis, commendatæ

Viris Ingenuis & Studiosis Adolescentibus.

VARSAVIÆ
Typis S. R. M. & Reipublicæ in Collegio *Scholarum Piarum* Anno 1760.

Præ omnibus aliis placent Virorum illustrium Epistolæ, utilioremque præstant operam Reipublicæ literariæ, qui eruendis è situ Bibliothecarum veterum lucubrationibus incumbunt, quàm qui novos cudunt libros; libri enim novi, si quid boni continent, ab antiquis mutuari solent.

Alexander VII. Pont: Max:
ad Bonam Cardinalem.

Pauli Czempinski
11 April 1767
fl: 1

NOTIO UTILISSIMA

Rerum ſingularium in Epiſtolis paſſim occurrentium, ex Breviario Antiquitatum Romanarum Chriſtophori Cellarii excerpta.

AUGURUM dignitas non impar fuit dignitati Pontificum. Pontifices ſtatas ſolenneſque cæremonias peragebant; *Augures* auſpicia, hoc eſt, initia omnium rerum publicarum, præſertim in Comitiis & aliis magnis rebus, procurabant. De cælo igitur diligentiſſimè ſervabant, & ſiquid ſiniſtrum obſervaſſent, obnuntiabant, atque ita, quod in eorum poteſtate erat, Comitia, Magiſtratuum initia, expeditiones bellicas, *&c.* dirimebant, aut detinebant. *Auguratûs* Sacerdotium perſæpe à ſummis viris ambiebatur. *Augures* quatuor tantum erant à Numa Pomp: inſtituti; poſtea additi quinque ple-

beji; Sulla auxit numerum, ut essent quindecim; his unum denuo superaddidit Julius Cesar.

ÆDILIS nomen habebat ab ædibus publicis, quas curabat. *Ædiles minoris dignitatis* erant creati non tantum ædium causâ, sed ut curam quoque rerum venalium gererent, factique sunt ex plebe, eo tempore, quô Tribuni plebis. *Majoris dignitatis Ædiles*, dicti *curules* à sella curuli maximorum Magistratuum ornamento, creati sunt ex Patriciis eodem tempore, quô Prætores. Officium illorum erat præcipuum: Ludos & spectacula curare, atque edere, etiam propriô sumptu. Unde quò splendidiores ludos edidissent, eò plus gratiæ consequebantur à populo, & altioribus Magistratibus, ut Consalatui, digni reddebantur. Julius Cæsar addidit duos *Ædiles Cereales*, qui rei frumentariæ prospicerent; sed hi inferiores erant *Curulibus*, & ubicunque absolutè *Ædilis* vel *Ædilitas* nominatur, intelligi debet, *Curulis*.

CENSURA summus erat Magistratus, & propter morum castigationem formidabilis. *Censores* bini constituebantur, qui non modo numerum inirent populi & fortunarum, sed mores etiam singulo-

rum obſervarent; & erat Magiſtratus hic quinquennalis. Poſtea viſum fuit periculo non carere, ſi tam diuturna poteſtas penes paucos eſſet, ideoque Æmilià lege ad annum reducta eſt. *Cenſores* dicti etiam ſunt Magiſtri morum, propter morum caſtigationem. Cenſoria pæna erat: Senatorem *movere* Senatu, & Equiti *adimere equum publicum*, & quemcunque Civẽ (ſive is Senator, ſive Eques, ſive plebejus eſſet) vel *Tribu movere* vel ex nobiliori in minus nobilem Tribum referre, imo pro delicti gravitate *à Tribu removere*, id eſt, jure ſuffragii privare, vel *Ærarium facere*, hoc eſt, cenſu ordinario in commodum ærarii multiplicato, punire. Sub Cæſaribus vix aliquando *Cenſores* conſtituebantur, quia mali Principes metuebant, ne ſui etiam mores notarentur. *Cenſorum* etiam officij erat, Senatores legere, Senatum explere &c.

COMITIA erant vel *curiata* per *Curias* agi ſolita. Romulus enim diviſit Urbem in tres *Tribus*, ſeu partes, & has in triginta *Curias*, ſeu Claſſes. Sed hæ *Curiæ* interierunt. Nam poſtea Servius Tullius diviſit Urbem in quatuor *Tribus Saburbanam*, *Eſquilinam*, *Collinam*, & *Palatinam*, atque hæ quatuor partes dictæ

funt *urbanæ*. Deinde fex populi *Claſſes* conftituit cenfu & poffeffionibus diftinctas. In prima *Claſſe* erant ditiffimi, in fexta tenuiffimi. Porro *Claſſes* fingulas diftribuit in fuas *Centurias*: ita quidem, ut primæ *Claſſi*, adnumeratis Equitibus, darentur *Centuriæ* XCVIII. fecundæ XXII., tertiæ XX., quartæ XXX., fexta autem quanquam numerô fuperiores vinceret, pro una *Centuria* cenferetur. Jtaquè *Centuriata Comitia* erant nobiliffima, quibus per *Claſſium Centurias*, fine tumultu & confufione, fuffragia ferebantur. In his *Comitiis* Patritii fuperabant plebejos, in his creabantur Confules, Prætores &c. Unde etiam *Confularia, Prætoria* dicta funt. Denique *Comitia Tributa* erant potius plebis concilia, quia fubmotis Patribus, feu Senatu, agebantur; in iis actum de caufis levioris momenti; hæc poftea ad judicia tranflata funt.

CONSULES pro Regibus conftituti funt duo; ut fi unus malus effe voluiffet, alter eum, habens parem poteftatem, coerceret. Jmperium eorum fuit unius anni. Ornamenta *Confulum* erant *prætexta toga*, feu purpura, *fella curulis* & XII. *Lictores* cum fafcibus virgarum, quibus fecuris inferta erat; quanquam Valeriâ lege

ge ſecuris faſcibus fuit poſtea adempta ad terrorem mitigandum, & non nisi extra Urbem, in bellis, ſervata. *Conſulares* ſicut *prætorii, ædilitii, quæſtorii dicti* ſunt, qui Conſulatu, Præturâ, *&c.* fuerunt functi. *Conſules deſignati* dicebantur qui in ſequentem annum jam fuerant electi, & ſi ſub finem anni Senatus-Conſiliū fieri contigit, *Conſules deſignati* hunc habuêre honorem, quod primi, inter alios, ſuam ſententiam dicere rogarentur.

EQUESTRIS Ordinis nomen non tantùm militiæ, ſed etiam digninitatis eſt, cum digniores tantùm equô militabant, idque propter paucitatem equorum in Jtalia. Diſtinguebantur à plebejis ſignô *annuli* & *anguſti-clavi.* Ordo hic medius erat inter Senatores & plebem. Diſtingvebatur etiam eo, juxta legem Roſciam, quod Equitibus licitum fuit in Theatris in quatuordecim primis gradibus ſedere, non plebejis. *Equites* non tantum *Equitibus* naſcebantur, ſed etiam fuerant filii Senatorum. *Equites* divisi erant in *Urbanos*, qui domicilium Romæ habebant, & *Ruſticanos*, rure degentes. *Equitum* ſtudia erant præcipua, conductio vectigalium, id eſt, reddituum ex Provinciis populi Romani. Inde ordo

Publicanorum in *Equeſtri Ordine* ferè continebatur.

JMPERATOR eſt Rector exercitûs. Rectores enim dividebantur in *ſummum Ducem*, & Duces alios, qui *Legati* dicebantur, pro numero Legionum aſſumpti. Unde etiam *Legati Legionum* poſtea appellati ſunt. Summus autem Dux non ſtatim *Jmperator* dicebatur, ſed poſt victoriam ita ſalutatus ab exercitu; finitô bellô & Triumphô, ceſſabat titulus, uti etiã aliis bellis novus acquiri poterat. Hinc legimus ſæpe: *iterum Jmperator*, *ſexies Jmperator*. *&c.*

LATUS-clavus erat tunica Senatorum *laticlavia*, ſeu *latus-clavus* dicta, quâ non ſolum à plebejis, ſed etiam ab Equitibus, quibus tantum *anguſtus - clavus* erat, diſtinguebantur. Unde *latum-clavũ* accipere, eſt Senatorem fieri; *latum clavum ademiſſe*, ex Senatu moviſſe.

LEGATI fuerunt alii *Principum*, alii *Legionum*. Auguſtus enim (cum prius in libera Republica omnes Provinciæ Romanæ adminiſtrabãtur per Proconſules, & Proprætores) mutavit ſtatum, & Provincias diviſit: pacatas Senatui & populo reliquit; quibus verò opus fuerat præſidiô militari, ſibi ſervavit. Jllæ itaque

ad-

administrabantur formâ veteri; in has neque Proconsules, neque Proprætores, sed *Legati* summo cum imperio, & exercitu mittebantur. *Legatus* Cæsaris dicebatur etiam *Consularis Legatus*, quia ex Consularibus viris plerumque legebatur. *Legatus* autem *Legionis* dictus quoque est *Legatus Prætorius*, quia huic muneri plerumque Prætorii viri præficiebantur.

LEGIO est pars exercitûs, in qua summa vis & robur erat ex lectione juventutis Romanæ. *Legio* constabat quatuor millibus & ducentis, in quibus soli ducenti Equites erant. Bellô Punicô auctus est numerus ad quinque millia peditum & trecentos Equites. Denique à C. Mario adhibita sunt sex millia ad *Legionem*. In *Legione* fuerunt X. *Cohortes*, XXX. *Manipuli*, LX. *Centuriæ*. *Legiones* per numeros distinguebantur: prima, secunda *&c.* unde etiam milites dicebantur primarii, secundani *&c.*

LEX magnam habet vocabuli amplitudinem. *Lex* propriè dicta est generale jussum populi aut plebis rogante Magistratu, quia nulla potestas legem ferre poterat insciô populô; itaque *Consules*, *Tribuni* *&c.* si quid statuerant referebant ad populum, interrogantes: an velint

velint, jubeantque hoc ita fieri? hinc etiam leges dictæ sunt *Rogationes*, seu interrogationes. *Leges* ab Auctoribus (ut inquit Cicero) sua habent nomina; ita *Lex Ælia & Fusia* de jure Comitiorum; *Cincia* de donis & muneribus; *Leges Corneliæ*: testamentaria, nummaria, de infamia, de proscriptione *&c.* *Gabinia* de legatis, *Pompejæ*: de ambitu, de Judicibus. *Roscia* theatralis. *Scantinia* contra impudicos. *Sempronia*, agraria; *Papia Poppæa* de Connubiis, *&c.* *&c.*

LIBERTUS. est è servitute manu-missus Manu-missione autem adsequebatur modò majorem libertatem, fiebatque Civis Romanus; modò minorem, ut tantùm Latini juris esset. Ad hanc libertatem non perveniebant, nisi publicâ auctoritate vel Prætoris in Urbe, vel Proprætoris extra Urbem. *Manumissio* verò dicebatur per *vindictam*, hoc est, per virgam, quam Magistratus capiti ejus, qui manu-mittebatur, inferebat. Libertas hæc à servis impetrabatur propter merita, & fidelem servitutem, licet postea, per abusionem pecuniâ etiam undequaque collectâ redimebant libertatem. *Liberti* in Senatum non poterant admitti nisi post aliquot gene-

generationes. *Libertorum* filii vocabantur *Libertini*.

LUDI apud Romanos varii erant: *Publici* qui maximâ pompâ ad demerendam populi gratiam instituebantur. *Privati*, inter amicos editi. Ex publicis fuerunt *Circenses* dicti à circo, qui maximus cognominatus est ad differentiam aliorum: in rotundo enim Urbis spatio curribus certabant, circa metam septies currendo, ita, ut ad illam non offenderent. *Gladiatorii* à Gladiatoribus dicti. *Gladiatores* autem vilissimi erant homines, vel ex captivis, vel ex ingenuis etiam, propter perditos mores, & decoctam rem familiarem, lanistis sese vendentes. *Lanistæ* porrò exercitatos in arte gladiatoria in publicis Ludis pro pecunia sistebant. Jtaque centum, vel ducenta paria in *Amphitheatro*, circum circa spectantibus, ante meridiem armis lusoriis, id est, ligneis; post meridiem acutissimis, & ad letalia vulnera paratis, pugnabant. Quando paria componebantur (raro enim in tumultu res agebatur) qui victor fuerat, adversariô interfectô, libertate donabatur, nisi cum alio recente componeretur. Præmium benè pugnantis *rudis* erat, seu *virgula*, quæ signum erat liberationis ex ludo gladiatorio.

Muni-

MUNICIPIUM eſt communicatio Civitatis, quæ dabatur non tantum Provinciis in Jtalia exiſtentibus, ſed etiam extraneis, imo verò tempore Julij Cæſaris ipſis Oppidis, & ſingulis hominibus de Cæſare benè merentibus. Communicatio Civitatis Romanæ alijs conceſſa, in eo ſita erat: quod qui eam habebat, amicus Romanorum fuit, poſſeſſiones bonorum in Jtalia acquirebat, immunitate gaudebat, verbô, *Municeps* jure Romano utebatur, quod tamen jus ſuffragia negabat, & honores in Urbe capiendos. *Municipium* Patria duplex fuit: altera *Loci*, in qua nati, cujus jura ſemper retinebant; altera *Juris*, id eſt Roma, in cujus civitatem tranſcripti erant.

PATRONI dicti ſunt *Cauſidici*, & ſi illuſtriores eſſent, *Oratores*: non autem *Advocati*, qui tantum amici erant reorum, rogati, ut reis in Judicio præſentiâ ſuâ ſolùm adeſſent, quorum gratiâ Judices moverentur. *Patronis* alij in cauſis dicendis inſtituendi committebantur, quibus illi Præceptorum & Patrum loco erant.

PRÆFECTUS. Temporibus Auguſti Cæſaris novus Magiſtratus *Præfecturæ* erat ampliſſimæ poteſtatis non tantum

in

In Urbe, ſed ad centeſimum etiam lapidem ab Urbe. *Præfecti* quidem nomen vetus eſt; nam in Republica etiam libera, abſe tibus,vel belli,vel aliâ causâ Magiſtratibus *Præfectus* Urbi conſtituebatur. Js verò novâ poteſtate ac dignitate à Cæſaribus ornabatur, eratque non abſentis loco, ut olim *Prætor*, ſed perpetuus, & abſque ulla conditione.

PRÆTOR. Poſt exactos Reges nullus Magiſtratus erat Romæ, niſi Conſules, qui cùm bellis gerendis ſæpiſſimè detinerentur, additus eſt novus Magiſtratus, *Prætor* unus, qui jus in Urbe diceret & hic dictus eſt *Urbanus.* Poſtea advenientibus in Urbem multis peregrinis, creatus eſt alius *Prætor*, qui inter peregrinos jus diceret; & hic dictus eſt *Prætor peregrinus.* Deinde ſcribit Liv: *Epit:*XIX & *lib:* XXXII. tot fuiſſe *Prætores*, quot Provinciæ in ditionem Romanã venerant. *Prætores* etiam dicti erant exercituum Rectores,quibus ſummum Jmperium commiſſum fuit: unde Cohors Prætoriana appellabatur.

PROPRÆTORES potius dicebantur, non Prætores (quanquam & hæc appellatio in illis inſolens non eſt) qui in Provincis jus dicebant.

Pro-

PROCONSULES administrabant Provincias, quæ, cum inæquales essent, & una opimior alterâ, sorte sæpius distribuebant eas inter se ad contentionem excludendam; aliquando tamen easdem *comparabant*, hoc est, conveniebat inter Præsides de illis sine sortitione. Ad administrationem Provinciarum etiam Consules mittebantur, qui exactô licet Consulatu, in administratione tamen relinquebantur. Agebant verò omnia more Romano in suis Provinciis: *Forum* instituebant in præcipuis Urbibus, vocabant etiam *Conventus juridicos*, habebant *Causidicos* Romanos *&c.*

PROVINCIÆ imprimis dictæ sunt vel *Prætoriæ*, vel *Consulares*, vel *Præsidiales* pro discrimine Magistratuum, qui ad eas regendas mittebantur à Senatu vel Principe. Provinciarum divisio alia, & quidem diversa fuit, pro diversis temporibus. Alia enim ratio fuit liberæ Reipublicæ, alia sub Augusto, alia sub aliis Imperatoribus, qui certè novis subdivisionibus multiplicarunt Provincias. Exemp: gr: *Hispania* à Punicis bellis divisa erat in *Citeriorem* & *Ulteriorem*, Augustus autem divisit eam in *Tarraconensem*, *Bæticam*, & *Lusitaniam*. *Gallia* olim divisa fu-

it in

it in *Transalpinam* & *Cisalpinam*. Julius Cæsar Transalpinam in tres partes divisit, nempe *Celticam*, *Aquitanicam*, & *Belgicam*. Tandem eadem Gallia Diocletiani & Constantini tempore, cum novæ ubique subdivisiones fierent, XIV. Provicias complectebatur. Jdem de ceteris Regnis & ditionibus sentiendum.

QUÆSTURA erat primus honoris gradus, à quo, post militiam, ad altiores Magistratus ascendebant, qui militiam persequi noluerunt. *Quæstorum* munus erat pecuniam publicam curare, ærario inferre, & ubi opus fuerat, distribuere, ejusque rei rationes atque tabulas conficere. Jnitio id Consules ipsi administrabant. Cum auctius ærarium esse cæpisset, qui ei præssent, constituti sunt *Quæstores* duo, qui *Urbani* dicebantur. His additi sunt postea duo alii, qui Consulibus in bello adessent. Denique crescente Republica duplicatus est eorum numerus. Sulla tandem constituit *Quæstores* XX. ex quibus singulis Præsidibus Provinciarum *Quæstor* est sorte additus. Tum demum à Julio Cæsare XL. *Quæstores* creati esse perhibentur. *Quæstores* Præsidibus Provinciarum fuerunt filiorum loco; Præsides à Quæstoribus ut Patres colebant

lebantur. Tandem ſub Cæſaribus à Quæſtoribus tranſlata eſt cura ærarii ad Præfectos

SUPPLICATIONES erant duplicis generis: *Triſtes* pro avertendis malis prodigiis; & *Lætæ*, quibus pro victoria, aut Republica conſervata gratiæ Diis, per unum, aut plures dies, agebantur, & si ſolenniores erant, ipsô Triumphô, judicante Catone *ad Cic: lib:* XV. *Ep*: 5. erant clariores. Decernebantur à Senatu; inter dies feſtos referebantur; & ſumma cum lætitia peragi ſolebant.

TRIBUNI plebis creati ſunt ſextôdecimô annô poſt ejectos Reges. Plebs enim viſa ſibi à Patritiis opprimi, ſeceſſit ex Urbe trans Anienem fluvium in montem ſacrum, nec revocari potuit, nisi creatô ſui ordinis hôc Magiſtratu, qui cauſam plebis in Senatu ageret, poteſtatemque haberet etiam decretis contradicendi, quod intercedere, vel uti hodie dicitur proteſtari, vocabant. *Tribuni plebis* initio duo creati ſunt, hi verò ſtatim tres collegas ſibi adſumpſerunt. Demum X. creati ſunt, & hic numerus *Tribunorum plebis* diutius manſit. Magiſtratus hic minor erat ordine & dignitate, ſumma tamen ejus erat poteſtas propter poten-

tiam

tiam multitudinis, aut plebis, quâ facile poterat Consulibus & toti Senatui resister. Unde etiam Cæsares, sub nomine *Tribunorum* horum imperium summum sibi firmarant, quotannis *Tribuni plebis* facti. *Tribuni ærarii* ordinis minoris Præfecti erant, qui attributam pecuniam, id est stipendium militum de ærario adnumerabant Quæstori. In Judiciis etiam ex tribus ordinibus mixtis hi Tribuni aderant populi loco. Porrò *Tribuni Militum* erant Consulari potestate, qui abrogatis Consulibus, tres primum creati sunt; deinde quatuor, aliquando sex & octo creabantur, ut Patritiorum & Plebis ambitioni fieret satis.

TRIUMVIRI alii erant *Capitales*, qui custodiam carceris habebant, & curam suppliciorum; alii *Monetales*, qui rem monetariam, sive cudendæ pecuniæ curabant.

TRIUMPHUS erat maximum Præmiorum, quô Duces victores ornabantur. Qui triumphutari erant, ad statutum tempus extra Urbem manebant. Die *Triumphi* Senatu præeunte Dux Portam triumphalem ingressus, vectusque curru, quem equi albi trahebant, in Capitoli-

um aſcendebat, ubi factis Sacris in Templo *Jovis Capitolini*, publicæ epulæ per Civitatem dabantur. Ante triumphalem Currum præferebantur prædæ, imagines captarum Urbium depictæ; proximè autem ante currum ibant captivi Reges, Principes, manibus à tergo ligatis, qui ſi pejus de Romanis meriti fuiſſent, antequam in clivum Capitolinum venirent, in Tuſculanum carcerem abducti ſtrangulabantur.

EPISTOLÆ COMMENDATITIÆ

EPIST: I. *Ciceronis* Ex lib: 1. Famil: III.

ARgumentum : *Aulus Trebonius exercebat negotiationes & mercaturam in Ciliciæ Provincia ſub T. Appio Proconſule, à quo multas ſuis negotiis impetravit immunitates, ne à Publicanis vexaretur. Appio ſucceſſit in Provincia Lentulus, huic igitur commendat Cicero Trebonium, ut iiſdem privilegiis gaudere poſſit, quæ ipſi conceſſa fuêre ab Appio. In Commendatione oſtendit Cicero & amicitiam ſibi eſſe cum Trebonio, & rei æquitatem, & ſtudium ſuum in commendando, quæ partes Commendationis ſunt præcipuæ.*

Ex hoc argumento cuilibet attendenti facile innoteſcit, quis ſit contextus Epiſtolæ præſentis; quod quidem in reliquis omnibus præſtare pro viribus conabimur.

M. T. C. Lentulo S. D.

Aulo Trebonio, qui in tua Provincia magna negotia, & ampla & (1) expedita habet, multos annos utor familiariter. Js cùm antea ſemper & ſuo (2.)

 ſplen-

(1.) Non obnoxia litibus. (2.) Virtutibus.

ſplendore, & noſtrâ cæterorumque amicorum commendatione gratiſſimus in provincia fuit; tùm hoc tempore propter tuum in me amorem, noſtramque neceſſitudinem vehementer confidit his meis literis ſe apud te gratioſum fore. Quæ ne ſpes eum fallat, vehementer rogo te; commendoque tibi omnia ejus negotia, liberos, (3) procuratores, familiam; imprimiſque, ut quæ T. Appius de ejus re decrerit, ea comprobes, omnibuſque rebus eum ita (4) tractes, ut intelligat meam commendationem non vulgarem fuiſſe. *Vale.*

EPIST: II. *Ciceronis*
Ex lib: 6. Famil: IX.

Argum: *Cicero commendat T. Furfano Cæcinam ex amicitia, quæ ſibi fuerat cum ejus Patre, ex familiaritate, quam cum illo habuerat, uſque à pueritia, tum ex communibus ſtudiis; rogat itaque Furfanum, ut quòd ſua ſponte eſſet facturus arga Cæcinam, tantus cumulus accedat ejus commendatione, quanti ſe ſcit ab ipſo Furfano id fore ſibi gratiſſimum.*

M.T.C. T. Furfano Procos S. D.

Cum Aulo Cæcina tanta mihi familiaritas conſvetudoque ſemper fuit, ut nulla

(3.) Negotiationibus præpoſitos (4.) adjuves.

nulla major esse possit. Nam & Patre ejus clarô homine & forti virô plurimum (1) usi sumus, & hunc à puero, quod & spem magnam mihi afferebat summæ probitatis, summæque Eloquentiæ, & vivebat mecum conjunctissimè, non solum officiis amicitiæ, sed etiam studiis communibus sic semper dilexi, ut nullo cum homine conjunctius viverem. Nihil attinet me plura scribere; quàm mihi necesse est ejus salutem & fortunas, quibuscunque rebus possim, tueri, (2) vides. Reliquum est, ut cognorim pluribus rebus, quid tu & de bonorum fortuna, & de Reipublicæ calamitatibus (3) sentires, nihil à te petam, nisi ut ad eam voluntatem, quam tua sponte erga Cæcinam habiturus esses, tantus cumulus accedat commendatione mea, quanti me à te fieri intelligo; hôc mihi gratius facere nihil pores.

EPIST: III. *Ciceronis*

Ex lib: 11. Famil: XVI.

Argum: *Cicero cum plurimùm deberet L. Lamiæ, qui, quod olim ei faveret contra Clodium,*

 fue-

(1) Uti aliquô, significat communiter familiarem & amicum optimum illum esse. (2.) Vides, ob quas rationes eum tueri, & salutem ejus defendere debeam. (3) Quia cognovi te judicare indignum esse viros bonos adversâ fortunâ vexari.

fuerat à Gabinio Consule relegatus, sivè in exilium missus. Js itaque, cum peteret Præturam; velletque Cicero beneficii ejus se memorem ostendere, commendat diligentissimè Bruto absenti eundem Lamiam, oratque Brutum, ut scribat Romam ad Lupum familiarissimum suum, ut omnes Centurias, in quibus Brutus plurimum poterat, congreget, ad favendum Lamiæ Præturam petenti, cum nihil sit omnino, quod ei gratius facere possit.

M.T.C. Bruto Jmp: Cons: Desig: S.P.D.

Permagni interest, quo tibi hæc tempore Epistola reddita sit, utrum cùm solicitudinis aliquid haberes, an cum ab omni molestia vacuus esses. Jtaque ei præcepi, quem ad te misi, ut tempus observaret epistolæ tibi reddendæ. Nam quemadmodum coram, qui ad nos intempestivè adeunt, molesti sæpe sunt, sic epistolæ offendunt, non locô reddidæ. Si autem, ut spero, nihil te perturbat, nihil impedit, & ille, cui mandavi, satis scitè et commodè tempus ad te cæpit adeundi, confido me, quod velim, facile impetraturum. L. Lamia Præturam petit, hôc ego utor unô omnium plurimùm. Magna (1) vetustas, magna consvetudo intercedit, quodque plurimum valet, nihil mihi est ejus familiaritate jucundius

(1) à multo tempore servata familiaritas.

cundius. Magnô præterea beneficiô ejus, magnô meritô ſum obligatus. Nam Clodianis (2) temporibus, cum equeſtris ordinis (3) Princeps eſſet, proque mea ſalute acerrimè pugnaret, à Gabinio Conſule relagatus eſt, quod ante id tempus Civi Romano contigit (4) nemini. Hoc cum populus Romanus meminit, meipſum non meminiſſe turpiſſimum eſt. Qua propter perſvade tibi, mi Brute, me (5) petere Præturam. Quanquam enim Lamia ſummo ſplendore, ſummâ gratiâ eſt, magnificentiſſimô munere ædilitiô, tamen quaſi ea ita (6) non eſſent; ego ſuſcepi totum negotium. Nunc ſi me tanti facis, quanti certè facis, cum Equitum Centurias tenes, in queis regnas, mitte ad Lupum noſtrum, ut is nobis eas Centurias (7) conficiat. Non tenebo te pluribus. Ponam in extremo, quod ſentio. Nihil eſt, Brute, cum omnia à te expectem, quod mihi gratius facere poſſis. *vale*

(2) quando Ciceronem Clodius oppugnaverat & Vrbe ejecerat. (3) inter primos. (4) quia primus Lamia, ad id uſque tempus fuit, qui in exilium abiit. (5) quasi ego peterem. (6) tanquam non eſſet Lamia commendatiſſimus per ſuam Ædilitatem, quo in magiſtratu opiamè ſe geſsit. (7) ut compareti, sèu ut Equites ad centuriata Comitia nobis congreget.

EPIST: IV. *Ciceronis* Ex lib: 13. Famil: L.

Argum: Cicero commendat Curium in civitate Patrorum negotiantem Aucto Proc: ut eum à molestia & incommodis liberum & innoxium servet.

M. T. C. Aucto Proc: S. D.

Sumpsi hoc mihi pro tua in me observantia, quam penitus perspexi, quamdiu Brundisii fuimus, ut ad te familiariter, & quasi pro (1) meo jure scriberem, si quæ res esset, de (2) qua valde laborarem. M. Curius, qui Patris negotiatur, ita mihi familiaris est, ut nihil possit esse conjunctius. Multa illius in me officia, multa in illum mea quoque: maximum est, summus inter nos amor, & mutuus. Quæ cum ita sint, si ullam in amicitia mea spem habes, si ea, quæ in me officia & studia Brundisii contulisti, vis mihi etiam gratiora efficere, quanquam sint gratissima; si me à tuis omnibus amari vides, hoc mihi da atque largire, ut M. Curium (3) sartum & tectum, ut ajunt, ab

(1) consvevi ad amicos (2) quam omnino efficere vellem (3) plena hæc locutio significat ab omni injuria protectum, estque translata à re inanimata v.g, aq ædibus ad hominem.

ab omnique incommodo, detrimento, molestia, sincerum integrumque conserves. Et ipse spondeo, & omnes hoc tibi tui pro me (4) recipient, ex mea amicitia, & ex tuo in me officio maximum te fructum, summamque voluptatem esse capturum.

EPIST: V. *Bembi*

Ex lib: 1.

Argum: *Bembus Patavii degens studiorum causâ, commendat Barzizium medicum & Philosophum Bernardo Bembo Patri suo, & Paulo Pisano, Triumviris Venetiarum, ut eum ab exilio in Patriam redire permittant, idque faciant, & pro sua justitia, & pro Barzizii innocentia, rogat.*

P. Bembus Bernardo Bembo Patri, & Paulo Pisano Triumviris S. P. D.

Baptistæ Barzizii medici, atque Philosophi, hominis & omni virtutum genere perornati, & mihi amicissimi, causam vel salutem potius, & fortunas omnes commendo vobis majorem in modum. Hujus rem totam, vos, si jam (ut arbitror) ex ipso cognovistis; puto meâ commendatione eum non egere: satis enim vobis illum, vel causæ genus, vel ipsius sanctitas & summa virtus commendavit

(4) spondebunt, probabunt.

davit. Sin autem non cognoviſtis, date operam (obſecro) ut virum egregium & innocentem malevolorum hominum calumniâ & dolô malô ereptum è ſinu Conjugis, ex amplexu ſuorum, errantem tot annos, & jam ſenem, Patriæ tandem, & Civibus, & domui ſuæ reſtituatis. Ego cum ejus causâ vehementer laboro, tum veſtræ dignitatis & fidei intereſſe plurimum exiſtimo, ne is veſtram opem fruſtra imploret. Quid enim injuſtiùs, quàm ſi à doctis & ſanctis viris homo innocentiſſimus, Philoſophus præſtantiſſimus deſeratur? quod ſi is aliquando per vos reſtitutus, redierit ad ſuos; pulcherrimè vos confido, in meque recipio, operam veſtram & officium poſuiſſe exiſtimaturos. *valete.*

EPIST: VI. *Bembi*

Ex lib: I.

Argum: *Manzonius Patavinus repetierat à Patruis Bergomi degentibus ſummam certam, à Patre ſuo adhuc in vivis exiſtente illis conceſſam, quam pecuniam illi Patrui quâdam Bergomatium lege ſibi debere cedere probabant, nec Manzonio eandem jure poſt Patrem vitâ functum repetenti reddere voluerunt, Hanc itaque cauſam Manzo nii commendat Bembus Prætori Bergomatium, rogatque eum pro ipſiusmet humanitate & juſtitia, rem cognoſcat.*

P.

P. Bembus Paulo Pisano Equiti, Prætori Bergomatum S. P. D.

Quia non est obscurum, quàm me ames: neque ipse possũ facere, quin tibi commendem eos, qui cum optimi viri sint, & mihi aliquâ necessitudine conjuncti; putant se abs te suum jus, me petente, assequi posse facilius: Neque tu debes recusare, quò minus multos tibi obliges honestos homines, pro quibus (1) veteres tui familiares te rogant, præsertim in iis rebus, quibus (quæ tua est humanitas) non tu illis quidem deesses, etiam si te nemo rogaret. Jtaque Petrum Franciscum Manzonium, Patre orbatum optimô sanè virô, commendo tibi diligentissimè. Js contra Patruos agit, qui in petitione summæ, quam ei debent, Bergomatium cujusdam legis auxiliô, satis imbecillæ quidem ac levis, rem injustè impediunt contra Pataviorum leges gravissimas, quorum ille (2) municeps est. Peto igitur à te, ut rem cognoscas, & cum primum poteris, judices. Nec patiaris probum hominem, & mihi in ea necessitudine, quam cum Patavinis habeo, con-

(1) dicit Bembus esse se amicum veterem Paulo. (2) gaudet legibus & jure Patavinorum.

conjunctissimum, eludi & frustrari ab iniquis viris. Non dicam plura, ne aut amici causæ videar, aut amori erga me tuo diffidere. Unum addam: quantùm tuæ operæ Manzonio præstiteris hac in re, tantùm me amari abs te posthac existimaturum. *vale.*

EPIST: VII. *Bembi*

Ex lib 4.

Argum: *Polionius habens causam Urbini, primùm judicatus est innoxius, sed denuò in jus vocatus, ab iisdem Judicibus condemnatus fuit. Commendat igitur Bembus causam Polionii tanquam suam, Ubaldo Feretrio Urbinatum Duci, petitque ab eo, ut Polionium non præsentem in judicio, nec se per Procuratores seu causidicos defendentem, imo nec vocatum seu citatum, & tamen condemnatum, sua auctoritate erigat, idque faciat juxta leges; ac sententiam iniquam Judicii prioris, quod omnes ægrè ferunt, in meliorem mutet.*

P. Bembus Ubaldo Feretrio Urbinatum Duci S. P. D.

Quanquam ea tua humanitas est, ea pietas, ea rerum fortunæque variorum eventorum experientia, ut non dubitem, quin in tuendis bonis viris propter invidorum improbitatem aliquâ affectis illustri injuriâ, qui tuam opem, tu-

um

um auxilium implorant, ſatis per te ipſe incitatus(1) inclinatusque ſis; tamen cum Marcus Polionius, cui juſtiſſima in cauſa, tuô patrociniô magnopere opus eſt, vir cùm perhumanus & prudens, tùm mihi quàm familiaris, ita ſibi perſvadeat: ſi tibi ſeſe ipſe commendavero, fore, ut ad illam tuam propenſionem, quam dico, magnus in ſe tuendo cumulus voluntatis accedat; petenti amico deeſſe nolui: ne viderer vel benignitati tuæ, quâ me dum (2) hic eſſes, perhumaniter es complexus; vel meo erga te ſtudio, obſervantiæ, cultui, quibus te ſemper ſum proſequutus, diffidere. Jtaque te breviter, etiam, atque etiam rogo, ut ipſius Marci cauſam, dignitatem, fortunas omnes, ſic tuendas ſuſcipias, ut planè meas; exiſtimesque me abs te mihi ipſi petere, quod illi peto. Ab hujus (3) Procuratoribus intelliges: quàm malignè quàm impudenter fecerint, qui illum, qua in cauſa ſemel fuerat ipſis judicantibus abſolutus, in eadem nunc condemnarint: non ſolum non præſentem (erat enim tunc in Gallia Ciſalpina domi ſuæ) nec

ſe

(1) ad tuendos bonos viros per ſe facilis (2) Venetiis, unde Bembus hanc ſcripſerat Epiſtolam. (3) Cauſidicis, vel, ut vulgo dicitur, plenipotentiariis.

ſe per Procuratores defendentem, ſed planè etiam non vocatum: quô, me hercule, unô nihil poteſt eſſe injuſtius, nihil inuſitatius, nihil à Romani (4) fori dignitate magis alienum. Quæ cum ita ſe habeant; peto abs te, ut illi fautor adjutorque ſis; ut ea ipſa cauſa iterum in Judicium deferatur; eique (5) integrum ſit, pro innocentia, pro dignitate, pro fortunis ſuis, pro capite ea omnia agere, quæ jure ac lege iis, quibus crimen aliquod objectum eſt, conceduntur. Qua in re non poſſum dicere, quàm multis Civibus, magnis ac bonis viris & obſervantiſſimis tui, qui ægerrimè iſtam Judicii indignitatem perferunt ſatisfeceris, vel potius univerſæ Civitati, quæ quidem etiam literas his de rebus ad Legatum ſuum Romam(6)publicè miſit. Quamobrem non agam tecum pluribus. Ex eo enim, qui has tibi literas reddidit, omnia, quæ te ſcire opus eſt, facile intelliges. Sed ad illud, quod initio dixi, rediens, ſcire te planè volo, quæcunque in Polionium contuleris, ea abs te omnia in

me

(4) non citatum vel termino non conventum (5) à Romanis legibus & forma judicandi (6) ut poſſit denuo vel de novo juxta formã judicii omnia agere (7) querimoniam ſeu manifeſtationem de injuria in ſcriptis porrexit:

me fuiſſe collata me exiſtimaturum. Quàm benè autem officium tuum ſis poſiturus, ſi illum innocentem ſublevabis, multa te docere poterunt, quæ malo re, quàm verbis, te cognoſcere. *Vale.*

EPIST: VIII. *Plinii*
Ex lib: 1.

Argum: *Plinius petitus à Maurico, ut ſui fratris filiæ maritum deligeret, commendat ei Acilianum, juvenem honeſtum; commendationem verò facit tùm à Parentum ſplendore, tùm ab opibus, & honoribus geſtis, tùm vel maximè à virtutibus.*

Plinius Junio Maurico ſuo S.

Petis, ut fratris tui filiæ proſpiciam maritum: quod meritò mihi potiſſimum injungis. Scis enim quantopere (1) ſummum illum virum ſuſpexerim, dilexerimque; quibus ille adoleſcentiam meam exhortationibus (2) foverit, quibus etiam laudibus, ut laudandus viderer, effecerit. Nihil eſt quod à te mandari mihi aut majus, aut gravius, nihil quod honeſtius à me ſuſcipi poſſit, quàm ut eligam juvenem, ex quo naſci nepotes Aruleno Ruſtico deceat. (3) Qui quidem diu quæ-

rendus

(1) Arulenum Ruſticum Fratrem Maurici (2) quàm optimè educaverit & inſtituerit. (3) Gener:

rendus fuiſſet, niſi paratus, & quaſi provisus eſſet Minucius Acilianus, qui me ut juvenis juvenem (eſt enim minor pauculis annis) familiariſſimè diligit, reveretur ut ſenem; Nam ita à me formari & inſtitui cupit, ut ego à (4) Vobis ſolebam. Patria eſt ei Brixia ex illa (5) noſtra Jtalia, quæ multum adhuc verecundiæ, frugalitatis atque etiam ruſticitatis antiquæ retinet ac fovet. Pater Minucius Macrinus equeſtris ordinis princeps, qui nihil (6) altius voluit, allectus à Divo Veſpaſiano inter prætorios, honeſtam quietem huic noſtræ ambitioni, dicam dignitati, conſtantiſſimè prætulit. Habet aviam maternam Serranam Proculam è Municipio Patavino; Noſti loci mores; Serrana tamen Patavinis quoque ſeveritatis exemplum eſt. Contigit & Avunculus ei P. Acilius gravitate, prudentiâ fide prope ſingulari. In ſumma, nihil erit in (7) Domo tota, quod non tibi tanquam in tua placeat. Aciliano verò ipſi plurimùm vigoris & induſtriæ: quanquam in maxima verecundia Quæſturam, Tribunatum

(4) à Maurico & Aruleno. (5) Tranſpadana, ubi virtus, abſtinentia, ſimplicitas maximè viguiſſe dicitur. (6) altiores dignitates refugit. (7) in Familia, ſeu cognatione.

tum, Præturam honeſtiſſimè (8) percucurrit, ac jam pro ſe tibi neceſſitatem ambigendi (9) remiſit. Eſt illi facies liberalis, multô ſanguine, multô rubore ſuffuſa. Eſt ingenua totius corporis pulchritudo, & quidam Senatorius decor, quæ ego nequaquam arbitror negligenda. Debet enim hoc caſtitati puellarum, quaſi premium dari. Neſcio an adjiciam eſſe Patri ejus amplas facultates? nam cum imaginor (10) vos, quibus quærimus generum, ſilendum de facultatibus puto; cùm (11) publicos mores atque etiam leges (12) Civitatis intueor, quæ vel imprimis cenſus hominum ſpectandos arbitrantur, ne id quidem prætereundum videtur. Et ſanè de poſteris, & his pluribus cogitanti, (13) hic quoque in conditionibus deli-

(8) ante ætatem ſummo cum honore adminiſtravit Magiſtratus mox dictos (9) quod quasi jam aliis amicis ſuis dignitates reliquerit petendas. (10) *vos*, qui non cenſum in marito, ſed virtutes reſpicitis. (11) Iam verò pro more in genero quæruntur opes (12) Conſtituta lex fuerat ab Aug: Imp: ut ſaltim ducenta ſeſtertia poſſiderent, qui judices eſſe vellent unde etiam ducenarii Judices vocabantur. hinc etiam innuit eum eſſe opulentum. (13) hæc quoque conditio ſi ponatur, dicit abundare facultatibus Mauricum.

gendis ponendus eſt calculus. Tu fortaſſe me putas (14) indulſiſſe amori meo, ſupraque iſta, quam res patitur, ſuſtuliſſe; at ego fide mea ſpondeo futurum, ut omnia longè ampliora, quàm à me prædicantur, invenias. Diligo quidem adoleſcentem ardentiſſimè, ſicut meretur. Sed hoc ipſum amantis, non onerare eum laudibus. *vale.*

EPIST: IX. *Plinii*

Ex lib: 2.

Argum: *Sextus Euritius voluit fieri Tribunus. Hunc itaque Plinius commendat Apollinari Conſuli deſignato, ut eum in petitione Tribunatus adjuvet; exponens quot in illum beneficia contulerit, quibus virtutibus & quantis Parentum laudibus ornetur.*

Plinius Appollinari ſuo S.

Anxium me & inquietum habet petitio Sexti Euritii mei. Afficior curâ; & quam pro me ſolicitudinem non adii, quaſi pro (1) me altero patior; & alioquin meus pudor, mea exiſtimatio, mea dignitas in diſcrimen adducitur. Ego ſexto (2) Latum-clavum à Cæſare

noſtro

(14) Scripsiſse de juvene, quem amo, plura quam eſſent ſcribenda.

(1) dicit ſe Euritium, vel Euritium ſe eſſe. (2) dignitatem ſenatoriam etenim latus-clavus erat veſtis Senatoria.

noſtro, ego Quæſturam impetravi; meô (3) ſuffragiô pervenit ad jus Tribunatûs petendi: quem niſi obtinet in Senatu, vereor, ut (4) decepiſſe Cæſarem videar. Proinde adnitedum eſt mihi, ut talem eum judicent omnes, qualem eſſe Princeps mihi credidit: quæ (5) cauſâ ſi ſtudium meum non incitaret, adjutum tamen cuperem juvenem probiſſimum, graviſſimum, eruditiſſimum, omni denique laude digniſſimum, & quidem cum tota Domo. Nam Pater ejus Euritius Clarus, vir ſanctus, antiquus diſertus, atque in agendis cauſis exercitatus, quas ſummâ fide, pari conſtantiâ, nec verecundiâ minore defendit. Habet Avunculum C. Septitium, quô nihil verius, nihil ſimplitius, nihil candidius, nihil fidelius novi. Omnes me certatim, & tamen æqualiter amant; omnibus nunc ego in uno referre gratiam poſſum. Jtaque prendo amicos,

(3) auxiliô, favore meo licuit ipſi petere Tribunatum Plebis (4) Senatu proponebat populo Tribunum confirmandum. dicit igitur Plinius ſe vereri, Sextum indignum Tribunatu judicari à Senatu, cùm eum dignum eſſe perſvaſerit Trajano (5) prior commendatio Euritii apud Trajanum per me facta.

ſupplico, ambio Domus, (6) ſtationesque circumeo, quantumque vel auctoritate vel gratiâ valeam, precibus experior. Te quoque obſecro vel aliquam oneris mei partem ſuſcipere tanti putes. Reddam vicem, ſi repoſces; reddam, & ſi non repoſces. (7) Diligeris, coleris, frequentaris, oſtende modo velle te, nec deerunt, qui, quod tu velis, cupiant. *vale.*

EPIST: X. *Plinii*
Ex lib: 10.

Argum: *Plinius rogat Trajanum Jmperatorem; velit commendatum habere Roſianum, ſibi arcta familiaritate conjunctum, ad hæc virum probum & induſtrium, Cæſarisque ipſius Commilitonem.*

Plinius Trajano

Roſianum Geminum, Domine, arctiſſimô vinculô mecum tua in me beneficia junxerunt. Habui enim illum Quæſtorem in Conſulatu, mei ſummè obſervantiſſimum expertus: tantam mihi poſt Conſulatum obſervantiam præſtat

(6) ubi conveniunt Cives in otio fabulandi causâ.
(7) habes amorem plebis, habes devinctum tibi populum.

ſtat ut (1) publicæ neceſſitudinis pignora privatis cumulet officiis. Rogo ergo, ut ipſi apud te pro dignitate ejus precibus meis faveas; cui ſi (2) indulgentiam tuam dabis, dabit ipſe operam, ut in his, quæ ei mandaveris, majora mereatur. Pauciorem me in laudando facit, quod ſpero tibi, & integritatem ejus, & probitatem, & induſtriam non ſolum ex ejus honoribus, quos in Urbe ſub oculis tuis geſſit, verum etiam ex Commilitio eſſe notiſſimam. Jllud unum, quod propter charitatem ejus, nondum mihi videor ſatis (3) plene feciſſe, etiam atque etiã facio, teque, Domine, rogo, gaudere me exornatâ Queſtoris mei dignitate, id eſt, per illum, meâ, quàm maturiſſimè velis.

EPIST: XI. *Sabellici.*

Argum: *Sabellicus commendat Benedicto Triviſano Paduæ Prætori Creticum Philoſophiæ Profeſſorem, ut illi ſalarium augeatur.*

(1) â Quæſtoribus Parentis loco Conſules ſunt habiti. Roſianus etiam privato Plinio eundem honorem præſtitit, impenſè eum colendo, ideo dicitur quaſi nova veteribus conjungere officia. (2) ſi eum aliquo honorifico officio fungi permiſeris, optimè merebitur. (3) ſatis te rogaſſe.

Sabellicus Benedicto Trivisano S.

Audio hic pro Collegio Sapientum de Salario & mercede Cretico augenda agitari. Philosophatur is græcè, & Latinè multâ celebritate nominis in isto clarissimo Gymnasio. Ego, qui doctis libenter faveo, nihil à meo officio alienum duxi hominem eruditissimum tuæ amplitudini commendare, eâ, dico, commendatione, quæ diligentissima esse potest omnibus tuis in me officiis, quæ multa & magna esse fateor; hoc certè erit amplissimum, si cùm meâ causâ, tùm suô veteri institutô, humanitas tua bonas artes in hoc homine fuerit complexa. Summa eorum omnium, quæ illi in præsentia præstari cupio, hæc est, ut tuô testimoniô, si testimoniô opus fuerit, apud eos, quibus rei hujus decernendæ provincia delata est, dignitatem hominis diligentissimè per te ornatam velis, erit hoc mihi vehementer gratum. *vale.*

Exemplum.

Argum: *Commendatur vir quidam industrius ad negotia majoris momenti apud Principem agenda*

Scio non sine causa dictum Horatio: quem cui commendes, etiam atque

etiam

etiam aſpice. Sed hujus hominis integritas, ſic mihi multis argumentis eſt explorata, ut non dubitem illum tibi, vel capitis mei periculô commendare. Quem ſi complecteris, gratias agam, quod mihi credideris. Sed tu mihi magis ages gratias, quod tibi tradiderim hominem in manum, qui tibi fuerat etiam è longinquo arceſſendus. Et quidem cur hunc hominem tibi tantô ſtudiô commendandum putarim, mirari deſines, ubi eum propius noſſe cœperis. *vale.*

EPISTOLÆ CONSOLATORIÆ

EPIST: I. *Ciceronis* Ex lib: 4. Famil: V.

Argum: *Tullia Ciceronis filia, quæ primùm nupſerat Piſoni, deinde Dolabellæ poſt mortem Piſonis, tantæ fuit eleg-ntiæ & morum ſvavitatis, ut anima & dimidium cordis Patris a Cicerone appellaretur. Eâ mortuâ, ipſo tempore, cùm Cæſar devictis in Hiſpania Pompeji liberis ſine Collega Conſul eſſet, & ſolus Rempublicam occuparet, inconſolabiliter doluit Cicero. Sulpicius igitur vir amiciſſimus, hâc epiſtolâ eum conſolandum ducit, collectis undique rationibus & exem-*

plis

plis, quæ possent omnem dolorem amovere; arguit enim à necessitate generali moriendi, ab Auctoritate & Sapientia Ciceronis, quem non decet luctui indulgere, deinde ostendit mortem Filiæ eo tempore contigisse ut magis quodammodo gratulandum ei (quod oppressam Rempublicam à Cæsare non videat) quam dolendum sit &c.

Servius Sulpicius Ciceroni S. D.

Postquam mihi renuntiatum est de obitu Tulliæ, filiæ tuæ, sane, pro (1) eo ac debui, graviter molestèque tuli, communemque eam calamitatem existimavi. Qui si istic affuissem, neque tibi defuissem, coramque meum dolorem tibi declarassem. Etsi genus (2) hoc consolationis miserum atque acerbum est, propterea, quia per quos ea fieri debet, propinquos ac familiares, ipsi pari molestiâ afficiuntur, neque sine lachrimis multis id conari possunt: ut magis ipsi videantur aliorum consolatione indigere, quàm aliis posse suum officium præstare. Tamen quæ in præsentia in mentem veniunt, decrevi brevi ad te perscribere, non quod ea te fugere existi-

sti-

(1) qui sum tibi amicissimus, ideoque & dolor est communis mihi ac tibi. (2) cum amici consolantur, quia, æquè illi consolatione indigent.

ſtimem, ſed quod forſitan, dolore impeditus minus ea percipias. Quid eſt, quod tantopere te commoveat tuus dolor inteſtinus? Cogita, quemadmodum adhuc fortuna(3) nobiſcum egerit, ea nobis erepta eſſe, quæ hominibus non minus, quàm liberi, cara eſſe debent: Patriam, honeſtatem, dignitatem, honores omnes. Hôc unô (4) incommodô additô, quid ad dolorem adjungi potuit? atque quî in illis rebus exercitatus animus (5) callere jam debet, atque omnia minoris æſtimare? An (6) illius vicem (credo) doles? Quoties in eam cogitationem, neceſſe eſt, & tu veneris, & nos ſæpe incidimus, hiſce temporibus non peſſimè cum iis eſſe actum, quibus ſine dolore licitum eſt mortem cum vita commutare. Quid autem fuit, quod illam hoc tempore ad vivendum magnopere invitare poſſet? quæ res? quæ ſpes? quod animi ſolatium? Ut cum aliquo

(7)

(3) quantum nos ipſi paſſi ſumus. (4) ſc. morte filiæ additâ ad ſupra dicta mala, quaſi nihil adjiceretur dolori in comparatione eorum. (5) obduruiſſe conſvetudine. (6) Tulliæ, quod è vivis exceſſerit, idque dicit non eſſe dolendum, quia ſine dolore amiſſæ Patriæ mortua eſt, & dicit hoc in communi (7) Tullia enim divortium fecerat cum Dolabella, antequam pareret.

(7) adolescente primario juncta ætatem ageret? Licitum est tibi (credo) pro tua dignitate ex hac juventute generum deligere, cujus fidei liberos tuos & te tuto commitere putares. An ut ea liberos ex se se pareret, quos cum (8) florentes videret, lætaretur? qui rem à Parente traditam per se tenere possent? honores ordinatim petituri essent in Rep: in amicorum negotiis libertate sua uti? Quid horum fuit, quod non prius quàm datum est, (9) ademptum sit? At vero malum est liberos amittere. Malum, nisi (10) hoc pejus sit, hæc sufferre & perpeti. Quæ res mihi non mediocrem consolationem attulit, volo tibi commemorare, si forte eadem res tibi minuere dolorem possit. Ex Asia rediens, cum ab (11) Ægina Megaram versus navigarem, cæpi regiones circumcirca prospicere; post me erat Æ-

(8) hoc est, virtutibus, literis. & honoribus gradatim petitis. (9) ad omnia illa commoda, facilitas sublata fuit, in oppressa Rep: (10) quia mortem filiorum animô patimur, mala autem alia & corpore sufferimus, quod pejus est. (11) ab urbibus diratis & prostratis contendit lenire dolorem Ciceronis ex obitu filiæ habitum,

Ægina, ante Megara, dextrâ Piræeus, siniſtrâ Corinthus, quæ oppida quodam tempore florentiſſima fuerunt nunc proſtrata & diruta ante oculos jacent; cæpi egomet mecum ſic cogitare: Hem! nos homunculi indignamur, ſi quis noſtrum interiit, aut occiſus eſt, quorum vita brevior eſſe debet, cum unô locô tot oppidorum cadavera projecta jaceant? Viſne tu, Servi, te (12) cohibere, & meminiſſe hominem te eſſe natum? Crede mihi, cogitatione eâ non mediocriter ſum confirmatus. Hoc idem, ſi tibi videtur, fac ante oculos tibi proponas. (13) Modo, uno tempore tot viri clariſſimi interierunt; de Jmperio præterea tanta diminutio facta eſt: omnes Provinciæ conquaſſatæ ſunt, in unius (14) mulierculæ animula, ſi jactura facta eſt, tantopere commoveris? quæ ſi hoc tempore non diem ſuum objiſ-

(12) inducit ſe loquentem Servius & dicit, visne colligi & ad rationem adduci?

(13) paulo ante, cum gerebantur bella civilia. (14) utitur diminutione ut majora illa mala, quæ mox enumerata ſunt, oſtendantur, nonque tam vehementer doleat mortem Tulliæ in comparatione tot virorum Clariſſ: tot Provinciarum ſublatarum *&c.*

bjiſſet, paucis poſt annis tamen ei moriendum fuit, quoniam homo nata fuerat. Etiam tu ab hiſce rebus animum ad cogitationem tuam avoca, atque ea potius reminiſcere, quæ digna tuâ perſonâ ſunt: illam, quamdiu ei opus fuerat, vixiſſe, unà cum Republica fuiſſe; te Patrem ſuum, Prætorem, Conſulem, Augurem vidiſſe; adoleſcentibus primariis nuptam fuiſſe; omnibus bonis prope perfunctam eſſe; cum Reſpublica occideret, vitâ exceſſiſſe. Quid eſt, quod tu aut illa, cum fortuna (15) hoc nomine queri poſſitis? Denique noli te oblivíſci Ciceronem eſſe, & unum, qui aliis conſveveris(16) præcipere & dare conſilium; neque imitari malos medicos, qui in alienis morbis profitentur tenere ſe medicinæ ſcientiam, ipſi ſe curare non poſſunt; ſed potius quæ aliis tutè præcipere ſoles, tu te tibi ſubjice, atque apud animum propone: Nullus dolor eſt, quem non longinquitas temporis minuat, ac emolliat Hoc te expectare (17) tempus, tibi turpe eſt, ac non

ei

(15) mortis causâ nihil eſt, quod adverſam fortunam doleas (16) ſcriptis commendare fortitudinaem, conſtantiam &c. (17) longinquum ſcilicet, quod per ſe minuat dolorem.

ei rei ſapientiâ tuâ te occurrere. Quod ſi quis etiam (18) inferis ſenſus eſt, qui illius in te amor fuit, pietaſque in omnes ſuos, hoc certè illa te facere non vult. (19) Da hoc illi mortuæ, da ceteris amicis ac familiaribus, qui tuo dolore mærent; da Patriæ, (20) ut, ſi qua in re opus ſit operâ & Conſilio tuo uti poſſit. Denique quoniam in (21) eam fortunam devenimus, ut etiam huic rei ſerviendum ſit, noli committere, ut quiſquam te putet, non tam filiam, quàm Reipublicæ tempora & aliorum victoriam lugere. Plura me ad te de hac re ſcribere pudet, ne videar prudentiæ tuæ diffidere. Quare ſi hoc unum propoſuero, finem faciam ſcribendi: vidimus aliquoties ſecundam pulherrimè te ferre fortunam, magnamque ex ea re te laudem adipiſci, fac aliquando intelligamus adverſam quoque te æquè ferre poſſe, neque (22) id majus, quàm debeat, tibi onus videri; ne ex omnibus virtutibus (23) hæc una tibi

vide-

(18) ſi mortui ſentiunt (anima enim immortales eſſe crediderant) nolunt te tantopere doleres, (19) fac propter Tulliam, ut non doleas. (20) quia preſſus dolore non facile benè conſules (21) ut ſecundum aliorum judicium, qui lætari ſibi videntur, quod Cæſar oppreſſerit Remp: vivamus. (22) non debet dolor eſſe viri vulnere major. (23) tolerantia.

videatur deesse. Quod ad me attinet cum te tranquilliorem animô esse cognovero, de iis rebus, quæ hic geruntur, quem admodum se Provincia habeat, certiorem faciam. *vale.*

EPIST: II. *Ciceronis*
Ex lib: 5. Famil: XVIII.

Argum: *Titius Fadius Romæ cum divitias magnas sua virtute comparasset, & honores amplissimos consecutus fuisset, occupatâ per Cæsarem Republicâ, privatus dignitatibus omnibus, in exilio vivebat. Itaque Cicero eum consolatur, hortaturque, ut forti animô ferat incommoda; tam pro ratione temporis, quô hæc acciderunt, cum majora accidere potuerunt, quàm ex comparatione ad alios, qui plura amiserunt.*

M.T.C. Titio Fadio S. D.

Etsi egomet, qui te consolari cupio, consolandus ipse sum; propterea, quod nullâ rê gravius jamdiu tuli, quàm incommodum tuum; tamen te magnopere non hortor solum, sed etiam, pro amore nostro, rogo atque oro, te colligas, virumque præbeas, & qua (1) conditione omnes homines, & quibus temporibus nati simus, cogites. (2) Plus tibi

(1) ut subjiciamur omnibus telis fortunæ (2) Virtute adeptus es gloriam & laudem, fortuna tibi abstulit tantummodo Patriam & dignitates

tibi virtus tua dedit, quàm fortuna abstulit, propterea quod adeptus es, quod non multi homines (3) novi; amisisti, quæ plurimi homines nobilissimi. Ea denique videtur conditio impendere legum, judiciorum, temporum, ut optimè actum cum eo videatur esse, qui quàm (4) levissimâ pœna ab hac Republica discesserit. Tu verò, qui & fortunas & liberos habeas, & nos ceterosque necessitudine, & benevolentiâ tecum conjunctissimos, cumque magnam facultatem sis habiturus nobiscum, & cum omnibus tuis vivendi; & cum (5) unum sit judicium, ex tam multis, quod repehendatur, ut quod unâ sententiâ, eâque dubiâ, potentiæ alicujus condonatum existimetur: omnibus his de causis debes istam molestiam, quam levissimè, ferre, meus animus erit in te, liberosque tuos semper, quem tu esse velis, & qui esse debet. *vale.*

EPI-

(3) quia pauci, quorum plurimi non pridem Romani cives facti sunt, tantas dignitates adepti sunt quantas Fadius; & amiserunt eas etiam antiquissimi ac nobilissimi. (4) levissimam pænam his temporibus dicit esse exilium. (5) una sententia Cæsaris qui te judicat exilio puniendum, est reprchendenda, cum alii omnes ferè de te benè sentiant, unius itaque judicium prætermittendum est, vel fortiter ferendum.

EPIST: III. *Ciceronis*
Ex lib: 6. Famil: II.

Argum: *Aulus Torquatus cum fuisset Pompejanus, devictô Pompejô pugnâ Pharsalicâ, & in desperationem adductis rebus per Cæsarem (cum nihilominus per Pompejanos & Cæsarianos pugnaretur) contulerat se Athenas, ubi deflebat communes miserias & angebatur tum de rebus suis, tum de Repla. Affert igitur Cicero rationes, quibus probat, nihil esse, quod Torquatus molestè ferat, cum res sint adhuc in varietate, nec ita in malam partem inclinatæ, ut aliqui opinari possunt, primùm tamen ponit causas quare rarius scribat.*

M.T.C. Torquato S.D.

Peto à te, ne me putes oblivione tui rarius ad te scribere, quàm soleam, sed aut gravitate valetudinis, quâ tamen jam paullum videor levari; aut quia absim ab Urbe, ut qui ad te proficiscantur, scire non possim. Quare velim ita statutum habeas, me tui memoriam cum summa benevolentia tenere, tuasque omnes res non minori mihi curæ, quàm meas esse. (1) Quod majore in verietate versata

(1) quod variè exagitatus, vel quod variam fortunam expertus sis, quam te expertum iri nemo existimabat, id puto temporibus generaliter malis non molestè ferendum.

ſata eſt tua cauſa, quàm homines aut volebant, aut opinabantur: mihi crede, non eſt, pro malis temporum, quod moleſtè feras. Neceſſe eſt enim, aut armis augeri Rempublicam ſempiternis, aut, his poſitis, recreari aliquando, aut funditus interire. Si arma valebunt, nec(2)eos à quibus receſſeris, vereri debes, nec eos, quos adjuviſti; ſi armis aut conditione abjectis, aut victoriâ detractis, Civitas reſpiraverit, & dignitate frui tibi & fortunis licebit. Sin omnino interierint omnia, fueritque (3) is exitus, quem Vir prudentiſſimus M. Antonius, jam tum timebat, cum tantum inſtare malorum ſuſpicabatur; miſera eſt illa quidem conſolatio, tali præſertim Civi & Viro, ſed tamen neceſſaria: nihil eſſe cuiquam dolendum in eo, quod accidat univerſis. Quæ vis inſit in his paucis verbis (plura enim epiſtolæ committenda (4) non erant) ſi (5) attendas

(2) nec Cæſarianos, nec Pompejanos timere debes, ſi armis res dicidetur. (3) Antonius jam tunc, cum adhuc inter Marium & Syllam fuerunt diſſenſiones, prævidebat malos regnaturos, nec Bella civilia finem habitura, donec Reſpublica penitus eſſet deleta. Hunc igitur dicit exitum. (4) mentione facta de Reipublicæ regimine, dicit ſe vereri plura ſcribere. (5) ſi conſideres, ut conſideras, ſc: hæc pauca verba.

das, quod facis, profectò etiam sine meis literis, intelliges, te aliquid habere, quod speres? nihil quod, aut (6) hôc, aut aliquo Reipublicæ statu timeas. Omnia si interierint cum superstitem te esse Reipublicæ, (7) ne, si liceat, quidem velis; ferendam esse fortunam, præsertim quæ absit (8) à culpa. Sed hæc hactenus. Tu velim scribas ad me, quid agas, & ubi futurus sis, ut aut quò scribam, aut quò veniam, scire possim. *vale.*

EPIST: IV. *Bembi.*
Ex lib: |7.

Argum: *Epistolam hanc scribit Bembus nomine Leonis X. Pont: Max: ad Ludovicum Galliarum Regem, tùm testificando dolorem suum, quem habet ex morte Reginæ Uxoris ejus, tùm consolando ipsum Regem. Et primùm ostendit se Pontifex dolere ex eo, quod Regina virtutibus, & pietate in Deum illustris, defuncta sit; quod Rex dolore afficiatur, quod Pontificem amore prosequuta fuerit; & quod omnes post eam, tanquam orphani; relicti sint. Tum demum prosequitur rationes & causas, quas tàm ad se, quàm ad Regem è dolore levandum accommodat.*

Lu-

(6) minimè velles etiam vivere amissâ Republicâ
(7) quam non nostrâ culpâ contraximus, cum bene semper patriæ optaverimus.

Ludovico Galliæ Regi.

De Annæ Reginæ Uxoris tuæ morte certior factus, magnam sanè molestiam cæpi, cùm propterea, quod Fæminam egregiâ singularique virtute, & spectatô in Deum, ac Dei Ecclesiam cultù pietateque amisimus; tùm quia te pro amore tuo in illam laudabili, illiusque in te, maximô esse dolore affectum multorum literis intellexi. Accedit ad hæc, quod me illa quasi Patrem optatissimum pia amantissimaque filia incredibili observantia prosequebatur. Regnum etiam ipsum tuum, cæteræque Gentes opis alienæ (1) indigæ, in quas illa munificentiam exercebat suam, multum mihi amisisse in ea muliere bonæ spei, atque præsidii videbantur. Jtaque pluribus & quidem justis maximisque de causis vehementer (2) is me nuncius perturbavit. Verum cum optimam vivendi rationem, summamque probitatem, & eximiam mulieris temperantiam, tam amplo in Jmperio positæ, cæterasque ejus præstantissimas virtutes

(1) quæ indigent protegi gratiis, aut beneficentiâ aliorum sublevari. (2) quod mihi delatum sit Reginam è vivis excessisse.

animô repeteremus, & simul hujus vitæ miserias, atque horum temporum incommoda, perturbationesque respiceremus; in eam sententiam adducti sumus; ut benè cum iis actum esse statueremus, qui hoc tempore mortem cum vita commutavissent: Deumque Opt: Max: Annam Reginam ad se se, tanquam de terrarum æstu, & fluctibus ad portum, aut tanquam de flebili hospitio ad plenam hilaritatis paternam domum, cælum ipsum, beatorumque Concilium vocavisse magnopere existimaremus: ubi illa benè actæ vitæ præmia, & cùm liberalitati atque beneficentiæ, quibus duabus virtutibus supra mulierum captum eminuit, tùm verò temperantiæ patientiæque suæ speratos fructus læta felicissimaque perciperet. Quæ omninò cogitatio mærorem quidem meum multum levavit. Quare te hortor, ut eadem atque similia, vel etiam meliora, quæ Tua tibi vel prudentia, vel animi magnitudo facile subministrabit, ad cogitationes tuas adhibeas; ægritudinemque, quam te Uxoris tuæ morte contraxisse audio, leves, ferasque æquô animô, quæ ferenda sunt; sunt autem

ea

ea omnia, quæ aliter se habere non queunt. Jn quo & tuam ipse temperantiam, atque prudentiam maximè ostendes, & mihi, qui te unicè diligo, omnem mærorem absterges, si te levatum sensero.

EPIST: V. *Senecæ.*

Numero CVII.

Argum: *Lucilius miserat servos suos ad quoddam negotium peragendum, servi hanc nacti occasionem fugæ, non redierunt ad Dominum. Cum ergo hac de causa nimiùm angeretur Lucilius, Seneca eum solatür, quod ut efficacius præstet, adducit plurima & varia, quæ licet molesta sunt, accidunt tamen omninò in vita hominum, ideoque dicit illa non inopinata esse debere, quæ verò prævisa sunt mala (& esse debent omnia) illa patienter sunt ferenda, præsertimque ea, quibus occurrere, vel quæ emendare non possumus.*

Seneca Lucilio S.

Ubi illa prudentia tua? ubi in dispiciendis rebus subtilitas? ubi magnitudo? (1) Tam pusilla te angunt? servi occupationes tuas occasionem fugæ putaverunt. Si amici deciperent (habent enim sanè (2) nomen, quod il-

(1) quod servi fugerint, quibus fugiendi occasionem fecerunt occupationes, ad quas missi fuerunt. (2) amicos non veros, dicit nomen solum habere amici.

lis Epicurus noster imposuit, ut ita vocentur) (3) quo turpius non sint omnibus rebus tuis, desint illi, (4) qui & operam tuam conterebant, & te aliis molestum esse reddebant. Nihil horum insolitum, nihil inexpectatum est. Offendi rebus istis tàm ridiculum est, quàm queri, quod (5) spargaris in publico, aut inquineris in luto. Eadem vitæ conditio est, quæ (6) balnei, turbæ, itineris, quædam intermittentur, quædam incident. Non est (7) delicata res, vivere. Longam viam ingressus es, & labaris oportet, & arietes, & cadas, & lasseris, & exclames: O! mors, id est, (8) metiaris. Aliô locô comitem (9) relinques, aliô (10) efferes, aliô timebis. Per ejusmodi offensas emetiendum est confragosum hoc iter. Mori me vult? præparetur animus contra omnia. Sciat se venisse ubi (11) pati-

(3) si itaque, inquit, & amici deserant, jamne turbata omnia putandum? (4) quia propter amicos, & propria negotia sæpius prætermittimus, & aliis propter illorum negotia molesti reddimur. (5) quod de te alij sinistrè loquantur. (6) in balneis, in turba, in itinere quædam observamus, quædam non attendimus, sic *&c.* (7) vita nostra est misera. (8) ponas finem vitæ. (9) tacebis. (10) laudabis. (11) ubi fulmine sit perimendus.

patiatur fulmen; sciat se venisse, ubi:
"Luctus & ultrices posuêre cubilia curæ
"Pallentesque habitant morbi, tristisque senectus,,.

In hoc contubernio vita degenda est. Effugere ista non potes, contemnere potes: contemnes autem, si sæpe cogitaveris, & futura (12) præsumpseris. Nemo non fortiùs ad id, cui se diu composuerat, accessit; & duris quoque, si præmeditata erant, obsistit. At contra, imparatus, etiam levissima expavit. Id agendum est, ne quid nobis inopinatum sit; & quia omnia novitate graviora sunt, hæc cogitatio assidua præstabit, (13) ut nulli sis malo Tyro. Servi te reliquerunt. (14) Alium compilaverunt, alium accusaverunt, alium prodiderunt. alium calcaverunt, alium veneno, alium criminatione petierunt. (15) Quidquid dixeris, multis accidit. Deinceps quæ multa & varia sunt, in nos diriguntur. Quædam in nos fixa sunt, quædam vibrant

 brant

12) prius ante oculos posueris. (13) ut nullum sit mam, in quo primùm, tanquam accedens ad militiam, ercearis. (14) dicit alios servos suis dominis maa damna, & molestias intulisse. (15) & ex his malis odque, pluribus accidisse dicit.

brant, & (16) cum maximè veniunt; quædam ad alios perventura nos ſtringunt. Nihil miremur eorum, ad quæ nati ſumus; quæ ideo nulli querenda, quia paria ſunt omnibus. Jta dico, paria ſunt; (17.) nam etiam quod effugit aliquis, pati potuit. (18) Æquum autem jus eſt, non quô omnes uſi ſunt, ſed quod omnibus latum eſt. Jmperetur æquitas animo, & ſine querela mortalitatis tributa pendamus. Hiems frigora adducit? algendum eſt; æſtas calores refert? æſtuandum eſt; intemperies cæli valetudinem tentat? ægrotandum eſt; & fera nobis (19) loco occurret, & homo pernicioſior feris omnibus; aliud aqua, aliud ignis eripiet. Hanc rerum conditionem mutare non poſſumus: id poſſumus, magnū ſumere animum, & virô dignum quô fortiter fortuita patiamur, & naturæ conſentiamus. Natura autem hoc, quod vides, (20) Re-

gnum

(16) mala iſta celerrimè nos petunt. (17) nam etiam ſi hæc mala non omnis actu patiatur, potens eſt tamen, ut illis afficiatur. (18) Æquum jus eſt, quô licet non omnes defendunt ſe eo jure, ſed tamen omnibus ſe eô defendere permiſſum eſt. (19) aliquando, vel aliquo loco, (20) Univerſum mundum dicit varietate rerum ſtare & contineri.

gnum mutationibus temperat. Nubila sereno succedunt, turbantur maria, cum quieverunt; flant invicem venti; noctem dies sequitur: pars cæli consurgit, pars mergitur; contrariis rerum æternitas constat. Ad hanc legem animus noster aptandus est; hanc sequatur, huic pareat, & quæcunque fiunt, debuisse fieri putet; nec velit objurgare * naturam. Optimum est pati, quod emendare non possis, & Deum, quo auctore cuncta proveniunt, sine murmuratione comitari. Malus miles est, qui Jmpe-ratorem gemens sequitur. Quare impigri, atque alacres excipiamus imperia, nec deseramus hunc (21) operis pulcherrimi cursum, cui, quidquid patimur, intextum est, & sic alloquamur Jovem, cujus gubernaculô moles ista dirigitur, quemadmodum Cleanthes noster versibus disertissimis alloquitur, quos mihi in (22) nostrum sermonem mutare permittitur, (23) Ciceronis Viri

* conformationem, constitutionemque universi talem, quod sit varietatibus abundans (21) universi huius, in quô etiam molesta nobis continentur (22) in Latinum, cum versus mox legendi grecè fuerint scripti (23) Cicero etiam eosdem versus suô modo adhibuit, cum verô in poeticis non fuerit adeo versatus, quia artem Oratoriam est secutus, excusat se Seneca (*scias me &c.*) Ciceronis traductione eorundem versuum.

desertissimi exemplô. Si placuerint. (24) boni consules; si displicuerint? scies me in hoc secutum Ciceronis exemplum.

" Duc me parens, celsique Dominator Poli;
" Quocunque placuit; nulla parendi mora est.
" Assum impiger; fac nolle, comitabor gemens:
" Malusque patiar, quod pati licuit bono.
" Ducunt volentem fata, nolentem trahunt ,,.

Sic vivamus sic loquamur, paratos nos inveniat, atque impigros, (25) fatum. Hic est magnus animus, qui se Deo tradidit, at contra, ille pusillus ac degener, qui obluctatur, & de ordine mundi malè existimat, & emendare mavult Deos, quam se.

Exemplum.

Amicus amicum consolatur in obitu uxoris suæ.

Non hic tui consolandi officium mihi sumpsi, quod minùs magnificè de animi tui magnitudine sentirem, sed quem

(24) probabis, laudabis. (25) *fatum.* tanquam Deus quidam antiquis erat. sumitur pro rebus quæ aliter fieri nequeunt, sed sive malæ, sive bonæ fuerint, eventuræ sunt.

quemadmodum gubernatores optimi vim tempestatis, ita viri fortissimi fortunæ impetum superare interdum non possunt. Non me fugit quam gr ve vulnus acceperis Uxoris obitu . Amisisti fæminam singularis exempli , etiam si priscis sæculis vixisset. Quam illa marito verecundiam præstitit , cùm ipsa summam mereretur? Quàm multas,quàm eximias virtutes ex diversis ætatibus , ex variis matronis collectas , ac mixtas una expressit ? Tamen hoc tibi debet esse magno solatio , quod tantum bonum tàm diu possederis. Vixit tecum quadraginta quatuor annos sine jurgio, sine offensa. Sed hoc ægriùs fero, inquies, quò tenui diutius. At vide ne ingrati sit hominis, tantum cogitare quid amiseris, non meminisse quàmdiu fruitus fueris . Certè prudentiæ tuæ fuerit, non committere , ne hoc valeat apud animum tuum ratio , quod alioqui necessitas ipsa, & dies longa, & sacietas doloris inducit.

EPISTOLÆ DEMONSTRATIVÆ.

Quibus laus vel vituperium continetur.

EPIST.

EPIST: I. *Ciceronis.*

Ex lib: 2. Famil: XV.

Argum: *Re benè gestâ à Cicerone in Cilicia (Ciliciæ enim erat Præfectus) Cælius & Curio Ædiles supplicationem ei decerni procuraverunt, quod cùm obtinuissent, laudat Cicero eorum in hac re prudentiam, dicitque se sperare Triumphum. Deinde scribit de Dolabella genero suo & Tullia filia sua, quæ, absente se, Dolabellæ in matrimonium locata fuerat. Postea ostendit se esse solicitum, de Republica, & excusat se, quod de Provincia decedens, Cælium quendam Adolescentem ei præfecerit, ostenditque se id tùm optima ratione, tùm exemplô excellentium virorum fecisse.*

M.T.C. Jmper: M. Cælio Curuli Ædili S.P.D.

Non potuit accuratius agi, nec prudentiùs, quàm actum est à te cum Curione de supplicatione; & mehercule, confecta res est ex (1) sententia mea, cùm celeritate, tùm quod is, qui erat iratus, (2) competitor tuus, & idem meus, assensus est (3) ei, qui ornavit res nostras divinis laudibus. Quare scito me sperare (4) ea quæ sequuntur;

(1) ut optabam. (2) Attilius, qui Ædilitatem cum Cælio, & Provinciam cum Cicerone simul petiit, non tamen obtinuit (3) Curioni, qui de rebus gestis à Cicerone Orationem habuit in Senatu. (4) Triumphum, qui post supplicationes decretas fieri solebat.

tur; ad quæ tu te præpara. Dolabellam gaudeo à te primum laudari, deinde etiam amari. Nam (5) ea, quæ ſperas, Tulliæ meæ prudentiâ temperari poſſe, ſcio, cui tuæ epiſtolæ (6) reſpondeant. (7) Quid ſi meam legas, quam ego * tum ex tuis literis miſi ad Appium. (8) Sed quid agas? (9) ſic vivitur. (10) Quod actum Dii immortales approbent. Spero fore jucundum (11) generum nobis, multumque in (12) eo tua nos humanitas adjuvabit. (13) Reſpublica me valde ſollicitat; faveo Curioni; Cæſarem honeſtum eſſe cupio; pro Pompejo emori poſſum; ſed tamen ipsâ Republicâ nihil mihi eſt carius: in qua tu non valde te (14) jactas, diſtractus enim mihi videris eſſe, quod

&

(5) ſcripſerat Cælius Dolabellam eſſe temerarium, ſperare ſe tamen ad meliora poſſe reduci, idque fieri poſſe dicit Cicero prudentiâ Tulliæ ſuæ, uxoris ejus. (6) Iubet Cicero mitti literas de Dolabella ad Tulliam. (7) Cicero dicit ſe etiam de Dolabella ſcripſiſſe multa ad Appium nactus materiam ex literis Cælii. * ſtatim. (8) ſed quid faciendum? (9) ſic accidit, ſic omnino ſolet eſſe. (10) id eſt, matrimonium. (11) Dolabellam. (12) ſi conſiliis tuis eum moderatus fueris. (13) dicit ſe eſſe ſollicitum de Rep: quam præ Curione, præ Cæſare, præ Pompejo, qui illam perturbant, cariorem habet. (14) cui tu te non immiſces.

& bonus Civis, & bonus amicus es. Ego de Provincia decedens Quæſtorem (15) Cælium præpoſui Provinciæ. Puerum? inquies. At quæſtorem; at nobilem adoleſcentem at omnium ferè (16) exemplo; (17) neque erat ſuperiore honore uſus, quem præficerem. Pomtinius multo ante diſceſſerat, à Quinto fratre impetrari non poterat, quem tamen ſi reliquiſſem, dicerent iniqui, non me planè poſt annum, ut ſenatus voluit, de Provincia deceſſiſſe, quoniam alterum me reliquiſſem. Fortaſſe etiam illud adderent: Senatum eos voluiſſe Provinciis præeſſe, qui antea non præfuiſſent: fratrem meum triennium Aſiæ præfuiſſe. Denique nunc ſollicitus non ſum, ſi fratrem reliquiſſem, omnia timerem. Poſtremo non tam mea ſponte quàm (18) potentiſſimorum duorum exem-

(15) Cælius hic fuit Quæſtor in Cilicia ſimul cum Cicerone, juvenis licet, at optimus. (16) qui poteſt eſſe omnibus exemplum in bonis moribus. (17) neque erat dignior illô quisquam, quia Pontinius prius diſceſſit è Provincia, qui potuit præfici eidem Provinciæ, deinde Quintus frater Ciceronis noluit, ut præficeretur, quod dicit & bene factum eſſe, quia aliàs reprehenſiones aliorum non effugeret (18) dicit ſe idem feciſſe exemplô Cæſaris & Pompeji, qui Quæſtores ſuos alter Caſſium, alter Antonium maximis honoribus exornarant.

xempló, qui omnes Caſſios, Antonioſque complexi ſunt, hominem adoleſcentem non tam (19) allicere volui, quàm alienare nolui. Hoc tu meum conſilium laudes. neceſſe eſt. mutari enim non poteſt. De (20) Ocella parum ad me planè ſcripſeras, & in actis non erat. Tuæ res geſtæ ita notæ ſunt, ut trans montem Taurum etiam de (21) Matrinio ſit auditum. Ego, niſi quid me (22) Eteſiæ morabuntur, celeriter (ut ſpero) vos videbo. *vale.*

EPIST: II. *Ciceronis*
Ex lib: 8. Famil: XII.

Argum: *Cælius hâc Epiſtolâ exponit Appium, qui tunc cum Piſone Cenſuram gerebat, ingratum ſibi eſſe, et accuſationes injuſtas de ſe feciſſe, quas tamen accuſationes in eundem Appium dicit ſe Cælius retorſiſſe cum magna ejus infamia.*

Cælius Ciceroni S.

Pudet me tibi confiteri, & queri de Appii hominis ingratiſſimi injuriis; qui me-

(19) Cælium non tam voluit obſtringere hôc beneficiô, quam, ſi negaretur idem ei beneficium, non dare cauſam alienandi ejus animi à ſe. (20) non ſignificavit Cælius quidquam de Ocella qui tamen aliquid egit, quod dignum erat actis publicis conſignari (21) Eques quidam Romanus, cum quo Cælius certum negotium egerat (22) niſi me venti impedierint, quibus flantibus fluvii exundare ſolent.

me odiſſe, quia magna mihi debbeat beneficia, cæpit; & cum homo avarus, ut (1) ea ſolveret, ſibi (2) imperare non poſſet, occultum mihi bellum indixit; ita occultum tamen, ut multi mihi renuntiarent, & ipſe facile animadverterem, malè eum de me cogitare. Poſteaquam verò comperi eum (3) Collegium tentaſſe, deinde apertè eum cum quibuſdam locutum: cum L. Domitio, ut nunc eſt, mihi inimiciſſimo homine, deliberare velle hoc (4) munuſculum deferre Cn: Pompejo: ipſum reprehenderē, & ab eo precarer injuriā, quem vitam mihi debere putaram, impetrare non potui. Quid ergo eſt? tum quidem aliquo amicis, qui teſtes erant meorum in illum meritorum, (5) locutus ſum; poſteaquam illum, (6) ne cui ſa-

(1) ut gratum ſe pro beneficiis exhiberet. (2) ſe adducere non poſſet ad id, ut mihi gratus eſſet. (3) Collegam ſuum Piſonem, cum quo fuerat Cenſor, ſolicitaſſe ad infamandum Cælium. (4) *hic, & ulteriùs ſenſus eſt:* Appius dixit Domitio, ſe velle id fàcere id eſt, me notare, in gratiam Pompeji, precatus ſum itaque eum, ut deſiſteret me perſequi, & non potui impetrare (5) conqueſtus. (6) dicit ſe Cælius ita deſpectum fuiſſe ab Appio, ut nec purgari ſive excuſari (id enim hic ſignificat ſatisfacere) apud eum voluerit,

ſatisfaceret quidem, me dignum habere ſenſi, malui (7) Collegæ ejus homini alieniſſimo mihi, & propter amicitiam tuam non æquiſſimo, me obligare quàm illius (8) ſimiæ vultum ſubire. Jd poſtquàm reſciit, incanduit, & me cauſam inimicitiarum quærere clamitavit,(9)ut ſi mihi in pecunia minùs ſatisfeciſſet per hanc ſpeciem ſimultatis,eum conſectarer. Poſtea non (10) deſtitit arceſſere palam Servium accuſatorem, inire cum Domitio conſilia, quibus cum parum (11) procederet, ut ulla lege mihi ponerent accuſatorem, compellari me ea lege voluerunt,quâ dicere non poterant. Jnſolentiſſimi homines ſummis (12) Circenſibus ludis meis poſtulandum me lege Scantinia curant. Vix hoc erat prælocutus, cum ego Appium Cenſorem eadem lege (13) poſtulavi: (14)Quod

 me-

(7) Piſoni,licet etiam inimico,malui adhærere (8)quam Appio, quem per contemptum ſimiam appellat. (9) ut ſi mihi debitum non redderet, haberem hanc cauſam eum vexandi. (10)non deſtitit ſubornare Servium, qui me accuſaret. (11) cum non poſſent efficere,ut me feciſſe aliquid contra aliquā legē accuſarent.(12)accuſandū curant, quaſi ego ſummos ſumptus expenderim pro ludis Circenſibus, quod Scantinia lex vetabat: (13) ſed ego ipſum Appium de ejusdem legis prævaricatione accuſavi,quæ lex erat etiam contra impudicos (14) quod mihi ſucceſſit optimè.

meliùs caderet, nihil vidi. (15) Nam ſic eſt à populo, & non infimo quoque approbatum, ut majorem Appio dolorem (16) fama, quàm poſtulatio attulerit. (17) Præterea cæpi Sacellum, in domo, quod eſt ab eo petere. Conturbat me mora ſervi hujus, qui tibi literas attulit. Nam acceptis prioribus literis, amplius quadraginta diebus manſit. (18) Quid tibi ſcribam, neſcio, ſcis Domitio diem timori eſſe. Expecto te valde, & quàm primum videre cupio. A te peto, ut meas injurias proinde doleas, ut me exiſtimas & dolere & ulciſci tuas ſolere. *vale.*

EPIST: III. *Ciceronis*

Ex lib: 10. Famil: III.

Argum: *Plancus erat Imperator cum tribus Legionibus in Gallia, cui cum Cicero non ſatis fideret, timeretque nè relictis partibus Reipublicæ, cum Antonio ſe conjungeret, nititur illum occultè retinere in amore Reipublicæ. Primùm igitur, dicit ſe libenter vidiſſe Furnium, tum per ſei-*

pſum

(15) nam etiam & populus id approbavit. (16) infamia à me facta, quàm accuſatio ipſius. (17) Cæpi dicere de Sacello, quod ille privatum habuerat, cùm hic locus erat patens populo, in quo Imagines Deorum ſervabantur, & qui cuſtodiebatur à Cenſoribus. igitur & hâc occaſione perſequitur Appium. (18) neſcio à quo dies dicta eſt Domitio ad judicium ſubeundum.

ipsum, tùm quia narraverat res jucundissimas de Planco & in re militari, & in administratione Provinciæ; postea verò ex benevolentia, quam sibi vetustissimam dicit fuissè cum Plancis, hortatur eum, ut incumbat diligenter in tuendam & conservandam Patriam, ex qua re dicit eum summam gloriam adepturum; postremo, ne videatur ex diffidentia scripsisse, dicit se amore compulsum hæc scribere.

Cicero Planco S.D.

Cùm ipsum (1) Furnium per se vidi libentissimè, tùm hoc lubentius, quod illum audiens, te videbar audire. Nam & in re militari virtutem, & in administranda Provincia justitiam, & in omni genere prudentiam mihi tuam exposuit; & præterea mihi non ignotam in consvetudine & familiaritate svavitatem tuam adjunxit; præterea summam erga se liberalitatem. Quæ omnia mihi jucunda, (2) hoc extremum etiam gratum fuit. Ego, Plance, necessitudinem constitutam habui cùm Domo vestra, ante aliquantò, quàm tu natus es, amorem autem erga te ab ineunte pueritia tua,

(1) Furnius erât in exercitu cum Planco legatus, & retulerat plura, quæ agerentur. (2) hoc, quod liberalis fuerit in Furnium Plancus.

tua, confirmata jam ætate familiaritatem (3) cùm studiô meô, tùm judiciô tuô constitutam. His de causis mirabiliter faveo Dignitati tuæ, quam mihi tecum statuo habere communem. Omnia summa consecutus es, virtute duce, comite fortunâ, eaque es adeptus adolescens, multis invidentibus, quos ingeniô, industriâque (4) fregisti. Nunc me amantissimum tui nemini concedentem, qui tibi vetustate necessitudinis potior possit esse, si audies, omnem tibi reliquæ vitæ dignitatem ex optimo Reipublicæ statu acquires. Scis profectò, (nihil enim te fugere potuit) fuisse quoddam tempus, cum homines existimarent, te nimis (5) servire temporibus; quod ego quoque existimarem te, si ea, quæ pati bare, probare etiam arbitrarer. Sed cum intelligerem, quid (6 sentires, te arbitrabar videre, quid posses. Nunc alia ratio est; omnium rerum, tuum (7) judi-

(3) quod & ego studuerim à te amari, & tu judicaveris me amundum. (4) hos vicisti non vindictâ, sed prudentiâ, qui te invidebant adolescentem in dignitatibus constitutum. (5) tanquam tibi placerent mala Reipublicæ tempora, quod & ego arbitrarer, si nescirem te pati ea potius, quàm placere tibi in illis. (6) quod bene sentires, de vindicanda scilicet Rep: (7) omnia potes, cum sis Consul designatus.

judicium est, idque liberum. Consul es designatus, optimâ ætate, summâ eloqueniâ, maximâ orbitate Reipublicæ virorum talium. Incumbe per Deos immortales in eam curam & cogitationem, quæ tibi summam dignitatem & gloriam afferat. Unus autem est, hoc præsertim tempore, per tot annos Republicâ devexatâ, Reipublicæ benè gerendæ cursus ad gloriam. Hæc amore magis impulsus scribenda ad te putavi, quàm quò arbitrarer te monitis & præceptis egere. Sciebam enim ex iisdem te (8) hæc haurire fontibus, ex quibus ipse hauseram. Quare modum faciam. Nunc tantum significandum putavi, ut potiùs amorem tibi ostenderem meum, quàm ostentarem prudentiam. Interea quæ ad dignitatem tuam pertinere arbitrabor, studiosè diligenterque curabo. *vale.*

EPIST: IV. *Bembi.*

Ex lib: 12.

Nomine Leonis X. P. M. ad Sigismundum Regem Poloniæ scripta.

Argum:

(8) Amorem & curam Reipublicæ ex Philosophia se hausisse dicit.

Argum: *Vladislaus Rex Hungariæ & Bohemiæ vitâ functus reliquit filium Ludovicum tenerâ adhuc ætate, quem tamen simul cum Regnis, Leoni Pont: Max: dum viveret, maximopere commendavit. Leo igitur tanquam Tutor juvenis Regis Regnorumque, ut & Regem firmaret, & Regnorum pacem atque tranquillitatem procuraret, misit ad id muneris, suâ auctoritate peragendum, Robertum Archi-Episcopum Reginum, ut cum Cardinali Strigoniensi, rebus in Hungaria & Bohemia componendis, adesset. Qua de re certum facit Sigismundum Regem Poloniæ fratrem Vladislai.*

Sigismundo Poloniæ Regi.

Cùm Vladislai Pannoniæ, Bohemiæque Regis Fratris tui mors, ejusque filii Ludovici nimis tenera ad perferenda onera duorum Regnorum ætas, aliquot nos dies mærentes, suspensosque habuisset, de Fratrum meorum E. R. Cardinalium sententia Robertum Archi-Episcopum Reginum designatum familiarem meum (quem propter Familiæ splendorem, & singularem ipsius doctrinam, atque virtutem ita complector, ut sit mihi planè charissimus) legavi, quem illuc quàm celerrimè mitterem; ut esset, qui unà cum Cardinali Strigoniensi Regi puero, meo nomine adesset:

atque ad pacem, & otium ejus Regni procurandum auctoritatem adderet meam, ut quantum pro tempore possem, puerum, quem quidem nobis Pater extremo vitæ suæ tempore diligentissimè amantissimisque verbis commendaverat, & pueri Regnum ornarem, atque protegerem. Volo enim omnes homines intelligere, Fratrem me tuum fortem virum, & prudentem ac religione præditum hominem, cùm fruentem vitâ dilexisse, tùm ejus commendationem morientis non neglexisse; Regnorumque illorum & Nationum fortissimarum, & benè de re Christiana meritarum, quam debui, curam & rationem habuisse. Cui quidem Roberto, cùm maturare, quantum posset, profectionem suam mandavissem, has ad te literas jussi dare certo tabellario & celeri; ut te antè, omnibus de rebus docerem, quàm is Pannoniam attigisset. Ego & si commendare tibi Fratris tui Filium velim, diffidere videar probitati tuæ; cui sanè non diffido: est enim mihi quidem probatissima. Sed tamen facere non possum, quin tibi illum commendem. *vale.*

EPI-

EPIST: V. *Plinii*

Ex lib 4.

Argum: *Pomponius Bassus magnis honoribus perfunctus, ingravescentibus jam annis in secessu, sive privatus degens, varias sibi, easque jucundissimas in subsequentes vitæ suæ dies disposuit occupationes. Plinius igitur laudat Pomponium, quod ea ratione vitam constituerit traducendam, ac quasi per inuidiam optat sibi eandem sortem vivendi aliquando obverturam.*

Plinius Pomponio Basso Suo S.

Magnam cæpi voluptatem, cum ex communibus amicis cognovi, te ut sapientiâ tuâ dignum est, & disponere (1) otium, & ferre; habitare amenissimè, & nunc * terrâ, nunc mari corpus agitare; multum disputare, multum lectitare; cumque plurimùm scias, quotidie tamen aliquid addiscere. Ita senescere oportet virum, qui Magistratus amplissimos gesserit, exercitus rexerit, totumque se Reipublicæ, (2) quàmdiu decebat, obtulerit. Nam & prima vitæ tempora, & media Patriæ, extrema nobis impertire debemus, ut ipsæ leges

(3)

(1) vacationem ab officiis civilibus facere, & ea uti. * nunc equô vel pedibus, nunc navi, (2) quàmdiu licuit per ætatem legitimam.

(3) monent, quæ majorem annis LX, otio reddunt. Quando mihi licebit,? quando per ætatem honeſtum erit imitari iſtud pulcherrimæ quietis exemplum? quando ſeceſſus mei non (4) deſidiæ nomen, ſed tranquillitatis accipient?

EPIST: VI. *Plinii.*

Ex lib: 6.

Argum: *Plinius conſtitutus à Præfecto Urbis Judex diſceptandarum cauſarum, advertit Salinatorem & Numidium optimos eſſe Advocatos, gaudet igitur vehementer, illos tanquam imitatores ſui eſſe; cum & ipſe Plinius fuerit Advocatus.*

Plinius Maximo Suo S.

O diem lætum! adhibitus in (1) conſilium à Præfecto Urbis audivi ex (2) adverſo agentes ſummæ ſpei, ſummæ indolis juvenes, Fuſcum Salinatorem & Numidium, egregium par, nec modò temporibus noſtris, ſed literis ipſis ornamento futurum. Mira utrique probitas, conſtantia ſalva, decorus habi-

(3) lex fuerat ſtatuta, ne Senator ſexagenarius, aut cogeretur ad Senatum, aut repelleretur à Senatu. (4) deſidia eſſet, ſi ante tempus legitimum ab officiis Reipublicæ amoveretur.

(1) ad judicandum. (2) à diverſis partibus dicentes.

habitus, os latinum, vox virilis, tenax memoria, magnum ingenium, judicium æquale: quæ singula mihi voluptati fuêre; atque inter hæc illud, quod & ipsi me ut Rectorem, ut Magistrum intuebantur. O diem! (repetam enim) lætum notandumque mihi candidissimô calculô. Quid enim aut publicè lætius quàm juvenes clarissimos nomen & famam ex studiis petere, aut mihi optatius, quàm me ad recta tendentibus quasi exemplar esse propositum? Quod gaudium ut perpetuo capiam, Deos oro, ab iisdem, teste te, peto, ut omnes, qui me imitari tanti putabunt, meliores esse, quàm me, velint. *vale.*

EPIST: VII. *Plinii.*
Ex lib: 6.

Argum: *Triario petenti, ut Plinius causam ejus in Judicio defendendam susciperet, promittit Plinius se id facturum, sed hac sub conditione, ut secum ageret etiam Cremutius Ruso, nobilis juvenis, sed in agendo adhuc Tyro, quem in Forum producere cupiebat ad causas dicendas instituendum.*

Plinius Triario suo S.

Impensè petis, ut agam causam pertinentem ad (1) curam tuam, pulchram

(1) quàm tu defendere debebas,

chram (2) alioquin & formosam: faciam, sed non gratis. (3) Quî fieri potest (inquis) ut non gratis? (4) tu potes. exigam enim mercedem honestiorem gratuito patrocinio. Peto atque etiam paciscor, ut simul agat Cremutius Ruso, solitum hoc mihi etiam in pluribus claris adolescentibus factitatum. Nam mirè concupisco bonos juvenes ostendere Foro, (5) assignare famæ. Quod si cui, præstare Rusoni meo debeo; vel propter natales ipsius, vel (6) propter eximiam mei charitatem, quem magni æstimo in iisdem Judiciis, (7) ex iisdem etiam partibus conspici, audiri. Obliga me, obliga antequàm dicat, nam cum dixerit, (8) gratias ages; spondeo solicitudini tuæ, spei meæ, (9) magnitudini causæ suffecturum. Est indolis optimæ, brevi (10) producturus alios, si

(2) Illustrem; quia causarum communium noluerunt fieri advocati. (3) quomodo fieri potest, ut, non gratis, cum in causis agendis semper abstinueris ab omni munere? (4) tu in causa es, quod â te solo mercedem exposcam. (5) Commendare bonæ famæ. (6) propter amorem, quem ille habet mei (7) ut simul mecum agat eandem causam. (8) quia benè dicet. (9) spondet se, uti bonam causam, optimê gesturum. (10) in judiciis ad patrocinandum commendaturus.

ſi interim (11) provectus fuerit à nobis. Neque enim cuiquam tàm clarum ſtatim ingenium eſt, ut poſſit emergere, niſi illi materia, occaſio, fautor etiam commendatorque contingat. *vale.*

EPIST: VIII. *Plinii.*

Ex lib: 9.

Argum: *Colon Quintiani amici ſui morte ita affligebatur, ut eum ſemper videre, eidemque colloqui efflictim cuperet. Hoc itaque in Colone laudat Plinius. Oſtenditque Quintiani tantam fuiſſe virtutem, ut hunc amorem meritò mereatur.*

Unicè probo, quòd Pompeji Quintiani morte tam dolenter afficeris, ut amiſsi charitatem (1) deſiderio extendas: non ut plerique, qui tantum viventes amant, ſeu potius amare ſe ſimulant quidem, niſi quos (2) florentes vident. Nam miſerorum non ſecus, ac defunctorum obliviſcuntur. Sed tibi perennis fides, tantaque in amore conſtantia, ut finiri, niſi tua morte,

non

(11) Si priùs ipſe à nobis optimè commendatus fuerit. (1) deſiderando defunctum reviviſcere. (2) qui florentes opibus, aut dignitate, amant, ſimulatè dicuntur amare.

non possit. &,(3)Hercules, is fuit Quintianus, quem diligi deceat exemplô ipsius. Felices amabat, miseros tuebatur, desiderabat amissos. Jam illa quanta probitas in ore? quanta in sermone cunctatio? quam pari librâ gravitas, comitasque? quod studium literarum? quod judicium? quâ pietate cum (4) dissimillimo Patre vivebat, cùm (5) non obstabat illi, quominus vir optimus videtur, quod erat optimus filius? Sed quid dolorem tuum (6 exulcero? quanquàm sic amasti viventem, ut hoc potius, quàm de illo sileri velis, à me præsertim, cujus prædicatione putas vitam ejus ornari, memoriam prorogari, ipsamque illam, quâ est raptus, ætatem posse restitui. *vale.*

EPIST: IX. *Sabellici.*

Argum: *Laudat Sabellicus Manteum, quod discipulos suos non tam eruditè, quàm sanctè instituat.*

Sabellicus Manteo S.

Quæris, quid de tua institutione sentiam? dicam breviter quod de Socrati-

crati-

(3) & profectò dignus fuit Quintianus tali amore, qui pariter verus amicus aliis fuit. (4) Pater hujus Quintiani fuit iniquus. (5) iniquitas Patris non obfuit Quintiano quominus optimus videretur. (6) quid per has laudes augeo dolorem tuum ?

cratica; non quia te Socratem putem, aut tuos Socraticos: non ſum tam ineptus, ut hanc fecem temporum cum illo hominum flore comparem; ſed quia tu caſtè, ut ille, & ſanctè doces, & tui, Socraticorum more, non minùs Præceptoris vitam, quàm præcepta intuentur. Eſt itaque duplex inſtitutio; literarum una, altera rerum divinarum, nam cùm te audiunt, Grammaticen diſſcunt, cùm mores ſpectant, ſanctimoniam & pietatem; eſtque hic tuorum profectus in eo melior, quàm illorum fuit, quod veram pietatem monſtras eſſe colendam; ſenex ille Atticus, ſi vetus Comedia vera eſt, nihil præter nubium vanitatem. *vale*

Exemplum.

Argum: *Laus viri alicujus* vg. *Annibalis ſcribitur.*

Annibal natus eſt Patre Amilcare, virô fortiſſimô, & cum jam eſſet annorum novem, fama eſt eum pueriliter blandientemPatri,ut duceretur in Hiſpaniam, cùm perfectô Africô bellô, exercitum eò trajecturus ſacrificaret, altaribus admotum, tactis ſacris, jurejurando

do adactum; ſe cùm primùm poſſet, hoſtem fore populo Romano. Miſſus Annibal in Hiſpaniam, primô ſtatim adventu, eundem exercitum in ſe convertit. Amilcarem viventem redditum ſibi milites credebant. Ingenium ejus ad res diverſiſſimas, parendum & imperandum habile erat. Saguntum Romanis fæderatum intra ſex menſes evertit. Alpibus patefactis in Jtaliam trajecit. P. Scipionem apud Ticinum; Sempronium apud Trebiam; Flaminium apud Traſimenum, ſupervit *&c.* Denique cùm nemo per omnia ſit felix, à Scipione ſuperatus ad Antiochum Regem Syriæ confugit; quô victô ad Pruſiam Bythyniæ Regem conceſſit; unde Romam repetiturus, hauſtô, quod ſub annuli gemma habebat, venenô, abſumptus eſt.

EPISTOLÆ EXCUSATORIÆ

EPIST: I. *Ciceronis* Ex lib: 2. Famil: I.

Argum: *Curio Orator clariſſimus cum Magiſtratum gereret in Aſia, conqueſtus fuit per literas*

teras cum Cicerone, quod ab eo nihil literarum acciperet; cui Cicero reſpondet hujuſcemodi querelam ſeù accuſationem præſeferre quendam amorem, cum oſtendat ſe deſiderare officium Ciceronis in ſcribendo. Excuſat ſe tamen Cicero, quod in eo non fuerit negligens, & plures ad eum dederit, quàm ab eo acceperit literas, promittitque ſe poſthàc ſcripturum. Deinde oſtendit quanta in expectatione ſit Curiò; hortaturque eum, ut ſpem de ſe ſuſceptam tueatur, & ita ſe gerat, ut aliquando conſolationi eſſe poſſit Senectuti ipſius Ciceronis, cujus præceptis optimè fuerit inſtitutus.

M. T. C. C. Curioni S. D.

Quanquàm me nomine negligentiæ ſuſpectum tibi eſſe (1) doleo, tamen non tam mihi moleſtum fuit accuſari abs te officium meum, quam jucundum (2) requiri; præſertim, cùm in quo accuſabar, culpâ vacarem: in quo autem deſiderare te ſignificabas meas literas, prætefers perſpectum mihi quidem, ſed tamen dulcem & optatum amorem tuum. Ecquidem neminẽ prætermiſi, quem quidem ad te perventurum putarem, cui literas non dederim. Etenim quis eſt tàm in ſcribendo impiger quàm ego? A te verò bis, tervè ad ſummum, & eas

(1) *doleo*, quod me negligentem in ſcribendo ſuſpiceris (2) *requiri* idem officium, ſcilicet, ut ad te ſcribam, jucundum eſſe ſibi Ciceró dicit.

eas perbreves accepi. Quare, si (3) iniquus es in me Judex, condemnabo (4) eodem ego te crimine: sin me (5) id facere noles, te mihi æquum præbere debebis. Sed de literis hactenus; (6) non enim vereor, ne non scribendo te expleam, præsertim, si in eo genere studium meum non aspernabere. Ego te absuisse (7) tamdiù à nobis & dolui, quod carui fructu jucundissimæ consvetudinis; & lætor, quod absens omnia cum maxima dignitate es consecutus; quodque in omnibus tuis rebus, (8) meis optatis fortuna respondit. Breve est, quod me tibi * præcipere meus incredibilis in te amor cogit: tanta est expectatio vel (9) animi, vel ingenii tui, ut ego obsecrare obtestarique non dubitem, sic ad nos conformatus revertare, ut, quam expectationem tui concitasti, hanc sustinere, ac tueri possis. Et quoniam meam tuorum erga me meri-

(3) quod me negligentem in scribendo existimes. (4) ejusdem negligentiæ te condemnabo. (5) si nolis, ut te condemnem, accusare me non debebis. (6) promittit se Cicero scripturum, & expleturum desiderium in hoc Curionis. (7) nam per duos annos fuit in Asia. (8) prout optaveram. * deferre, notum facere. (9) tàm pro virtutibus tuis, quàm pro sapientia & doctrinis, est Romæ tui expectatio.

torum memoriam ulla unquam delebit oblivio, te rogo, (10) ut memineris, quantæcunque tibi accessiones fient & fortunæ & dignitatis, eas te non potuisse consequi, nisi meis puer olim fidelissimis atque amantissimis consiliis paruisses. Quare hôc animô in nos esse debebis, (11) ut ætas nostra jam ingravescens in amore atque in adolescentia tua conquiescat. *vale.*

EPIST: II. *Ciceronis.*

Ex lib: 3. Famil: XII.

Argum: *Hujus epistolæ duæ partes sunt 1. Appius fuerat accusatus de ambitu, à quo tamen per Judicium est absolutus, quod itaque absolutus sit, id ei Cicero gratulatur. 2. Appius questus erat de Cicerone, quod contraxisset affinitatem cum Dolabella sibi inimicissimo (illi enim locaverat Tulliam filiam suam Cicero) excusat se itaque Cicero, quod se absente id factum sit, nam si fuisset præsens, nihil faceret sine consilio Appii. Postremò probat: propter hanc affinitatem se esse minimè abalienatum ab Appio, quinimo promittit se nunc majora facturum pro Appio, quàm antea.*]

M. T.

(10) monet Curionem, ut memor sit se consecutum esse & fortunam & dignitates ex eo, quod optimis præceptis à Cicerone adolescens institutus fuerit. (11) ut sis mihi consolationi in senectute mea.

M. T. C. Appio Pulchro S. D.

Gratulor tibi priùs; (ita enim rerum ordo poſtulat) deinde ad (1) me convertar. Ego verò vehementer gratulor de (2) judicio ambitus: neque (3) id, quod nemini dubium fuit, abſolutum eſſe te; ſed illud, quod, quò melior Civis, quò vir clarior, quò fortior amicus es, quoque plura virtutis & induſtriæ ornamenta in te ſunt, eo mirandum eſt magis nullam ne in (4) tabellæ quidem latebra fuiſſe abſconditam malevolentiam, quæ te impugnare auderet. Non (5) horum temporum, non horum hominum, atque morum negotium! (6) nihil jam pridem ſum admiratus magis. De (7) me autem ſuſcipe paulliſper meas partes, & eum te eſſe (8) finge, qui ſum ego: ſi (9)

 faci-

(1) ad excuſationem meam redibo. (2) quod fuerit juſtum in te abſolvendo ab hac culpa, quod quaſi ambires dignitatem. (3) ſubaudi mirandum fuit, quod innocens agnitus fueris. (4) ne in occultiſſima parte tabellæ, in qua accuſatio tui ſcripta eſt, abſcondi potuit malevolentia accuſatorum tuorum, quia hæc in omnibus punctis apertiſſima eſt, accuſationes enim in ſcriptis porrigi ſolebant. (5) dicit Cicero nunc legem hanc non ita ſervari quemadmodum, ſervabatur. (6) quàm virum clariſſimum, tàm malevolè accuſari. (7) incipit ſe excuſare. (8) intellige te eſſe loco mei. (9) ſi tu facile reſponderis ad hæc, de quibus accuſor ego

facile inveneris quod dicas, 10)noli ignoſcere hæſitationi meæ. Ego verò velim mihi, Tulliæque meæ (ſicut tu amiciſſimè & ſvaviſſimè optas) proſpere evenire (11) ea, quæ, me inſciente facta ſunt à meis: ſed ita (12) cecidiſſe, ut ageretur (31) eo tempore, ſpero omninò cum aliqua felicitate, & opto. Verumtamen plus me in hac ſpe, tua ſapientia & humanitas conſolatur, quàm (14) opportunitas temporis. Jtaque quemadmodum expediam exitum huius inſtitutæ orationis, non reperio; neque enim triſtius dicere quidquam debeo ea de re, quam tu ipſe (15) ominibus optimis perſequeris; neque non me tamen (16) mordet aliquid: in quo unum vereor, (17) ne tu parum perſpicias ea, quæ geſta ſunt, ab illis eſſe geſta, quibus ego ita mandaram, ut cum tàm longè abſuturus eſſem, ad me ne refe-

(10) ero reus culpæ. (11) connubium cum Dolabella. (12)ſed, quod ita acciderit. (13)quô eram abſens (erat enim in Provincia) ſpero id optimum fore, id eſt, rediturum te cum Dolabella in gratiam me intermedio. (14) quam quod ita factum ſit *ſc.* connubium hoc me inſcio. (15) & quamvis tu ipſe ſcribens ominaris id poſſe fieri benè. (16) angit me tamen hoc matrimonium. (17) ne intelligas: hæc geſta eſſe me permittente, ut agerent, quod melius probarent, nec ad me deferrent, cui locarent filiam meam amici mei.

referent, ágerent, quod probaſſent. In hoc autem mihi illud occurrit: Quid tu igitur (18) ſi affuiſſes? Rem (19) probaſſem; (20) de tempore, nihil te invitô, nihil ſine conſilio egiſſem tuo. Vides ſudare me, jam dudum laborantem, quomodo (21) ea tuear, quæ mihi tuenda ſunt, & te non offendam. (22) Leva me igitur hoc onere; nunquam enim mihi videor tractaſſe cauſam difficiliorem. Sic habeto tamen (23) niſi jam tunc omnia negotia cum ſumma tua dignitate diligentiſſimè confeciſſem, tametſi nihil videbatur ad meum erga te priſtinum ſtudium addi poſſe: tamen hâc mihi affinitate renuntiatâ, non majore equidem ſtudio, ſed acriùs, apertiùs, ſignificantiùs dignitatem tuam defendiſſem. Decedenti mihi & jam Jmperiô annuô terminatô ante diem III. Nonas Sextiles cum ad Sidam navi acce-

(18) ſi affuiſſes, dediſſesne filiam tuam Dolabellæ? (9) reſpondet Cicero prudenter, tanquam poſt factum quod ita defacto feciſſet. (20) interim nihil ſine te a'gerem. (21) quomodo hoc factum defendam, nec te tamen offendam. (22) non imputes igitur mihi jam hanc culpam. (23) ſi non egiſſem priùs negotia & cauſas tuas in Provincia, quam mihi nuntiatum eſt hoc matrimonium, agerem tamen ea pro tua dignitate ita, quemadmodum egi: hoc eſt, hæc nova affinitas cum Dolabella inimico tuo minimè alienaret me à te.

cederem, & mecum Q. Servilius eſſet (24) literæ à meis ſunt redditæ; dixi ſtatim Servilio, (etenim videbatur eſſe (25) commotus) (26) ut omnia à me majora expectaret, Quid multa? benevolentior tibi, quàm fui, nihilò ſum factus, diligentior ad declarandam benevolentiam multò. Nam ut (27) vetus noſtra ſimultas antea ſtimulabat me, ut caverem, ne cui ſuſpicionem fictè reconciliatæ gratiæ darem, ſic affinitas novam curam mihi affert cavendi, ne quid de ſummo meo erga te amore detractum eſſe videatur. *vale.*

EPIST: III. *Bembi.*

Ex lib: 8. Nomine Leonis Sum: Pont: ſcripta.

Argum: *Delatum fuerat Ludovico Galliarum Regi Leonem Pont: Max: quaſi non adeò benè eſſe affectum Claudio Epiſcopo Maſſilienſium diſignato Legato Regis Galliæ apud Curiam Pontificis*

(24) de Matrimonio literæ mihi redditæ ſunt, cum è Provincia jam diſcederem. (25) propter hanc affinitatem meam. (26) ut minimè de meo erga ſe animo dubitaret, ſtatim dixi. (27) quemadmodum olim ſimultates quasdam tecum habitas occultabam, ne quis nos cognoſceret fictos nobis eſſe amicos, ita nunc cavebo, ne cui videatur amor meus erga te imminutus affinitate.

tificis. Scribit itaque Leo Pontifex sinistram hanc esse delationem, & ostendit rem aliter se habere.

Ludovico Galliarum Regi.

Allatum ad nos est, tibi à certis hominibus insusurratum fuisse, Claudii Episcopi Massiliensium Legati tui curam atque operam nobis gratam non nimiùm esse. Quæ sanè res eò mihi gravior atque molestior accidit, quod cùm illum ob eius doctrinam, ingenium, probitatem multùm semper amaverim; postea cùm is ad me, ut legatũ tuum ageret, Romam venit; nihil ipsô tui amantius, nihil ardentius vidi; nihil planè tuis in rebus omnibus tractandis atque administrandis diligentius, accuratius, laboriosius illô fuit: quod quidem certè me illi etiam devinxit arctiùs. Itaque cum se aliquando ad te redire velle mihi significavisset; ne id faceret, sum illum pluribus fortasse verbis; quàm vel nostra dignitas, vel mea fert consvetudo; dehortatus. Quæ cùm ita se haberent, hæc ad te scripsi, ut esset ejus rei testimonium apud te meum, hortarerque te, ne posthàc de mea in Claudium voluntate; plus illis hominibus crede-

crederes, quàm ipſi mihi; nevè velles, ut is abs te ſuorum pro te ſuſceptorum officiorum, laborum, curarum, vigiliarum, longè aliam, quam te, atque ipſum deceat, mercedem, atque fructum caperet.

EPIST: IV. *Plinii.*
Ex lib: IX.

Argum: *Rufoni reprehendenti Virginium, excuſat, quod juſſerit inſcribi ſepulchro factum illud ſuum memorabile; & Frontinum laudanti, quod probibuiſſet Conditorium ſibi conſtrui: demum utroſque laudat, tanquam diverſo itinere ſ ad immortalitatem contendentes.*

Plinius Rufoni ſuo S.

Significas legiſſe te in quadam Epiſtola mea, juſſiſſe Virginium Rufum inſcribi ſepulchro ſuo:

Hic ſitus eſt (1) *Rufus, nullo qui vindice quondam,*
Jmperium aſſeruit, non ſibi, ſed Patriæ.

Repre-

(1) Virginius Rufus vir clariſſimus (cum fere omnes à Nerone deficerent ad Galbam Jmperatorem,) copiis germanicis in Gallia præerat. Qui cum Iulium Vindicem Ducem Gallorum viciſſet, proclamatus eſt Imperator, at ille reſpondit ſe neminem paſſurum Imperatorem ſine Senatu lectnm. Denique mortuo Nerone multi etiam ex Tribunis, qui erant in Tabernaculo, cùm diſtricto enſe juberent Virginiũ vel Imperium, vel ferrum admittere, reſtitit; ſed poſtquam â Senatu Galba creatus eſt Imperator, perſvaſit, licet dif-

Reprehendis quod jusserit; addis etiam, melius, rectiusque Frontinum, quod vetuerit omnino (2) munimentum sibi fieri: meque ad extremum, quid de utroque sentiam consulis; utrumque dilexi; (3) miratus sum magis, quem tu reprehendis, (4) mirarisque; atque ita miratus, ut non putarem satis unquam laudari posse, cujus nunc mihi subeunda defensio est. Omnes ego, qui magnum aliquod memorandumque fecerunt, non modò veniâ, verum etiam laude dignissimos judico, si immortalitatem quam meruêre, sectantur: victurique nominis famam supremis etiam titulis prorogare nituntur. Nec facile quenquam, nisi Virginium invenio, cujus tanta in (5) prædicando verecundia, quanta gloria ex (6) facto. Ipse sum testis familiariter ab eo dilectus, probatusque, semel omninò me audiente provectum, ut de rebus suis * hoc unum refer-

ficile, ut eundem Principem dicerent, hinc dicitur non sibi, sed Patriæ Imperium asseruisse.

(2) Sepulchrum. (3) & hunc veneratus sum magis, *quem tu &c:* (4) corripis (5) in ampliandis suis bene gestis verecundus & parcus. (6) factum est annotatum. * hoc unum de rebus gestis, quas Cluvius Historicus jam descripserat, dixit Virginius & quidem modestè: an ignoras me asseruisse Imperium Patriæ non mihi? tibi ut placet, scribas.

referret, ita ſecum aliquando Cluvium locutum: ſcis, Virgini, quæ hiſtoriæ fides debeatur? proinde ſiquid in hiſtoriis meis legis aliter, ac velles, rogo, ignoſcas. Ad hoc ſic (7) illum, Cluvi, næ tu igitur ignoras, ideo me feciſſe, quod feci, ut eſſet liberum vobis ſcribere, quæ libuiſſet? (8) Agedum hunc ipſum Frontinum, in hoc ipſo, in quo ſibi parcior videtur & preſſior comparemus. Vetuit extrui monimentū; ſed quibus verbis? Jmpenſa monimenti ſupervacanea eſt, memoria noſtri durabit, ſi (9) vitam meruimus. * An reſtrictius arbitraris per Orbem terrarum legendum, dare duraturam memoriam ſuam, quàm uno in loco duobus verſiculis ſignare quod feceris? Quanquam non habeo propoſitum, (10) illum reprehendendi, ſed (11) hunc tuendi, (12) cujuſquè poteſt

(7) ſic Cluvium allocutus eſt Virginius. (8) cum Virginio comparat Frontinum qui videtur Rufoni eſſe parcior in appetenda ſua gloria, quem tamen oſtendit magis cupidum ejuſdem. (9) ſi immortalitatem recte geſtis comparavimus (10) Frontinum. (11) Virginium. * an modeſtius igitur Frontinus ſuam gloriam concupiverit, cum per orbem terrarum duraturam quaſi probaverit? quam Rufus, qui eandem uno in loco versibus affixerit. (12) Virginii juſtior cauſa eſſe debet apud te, quam Frontini, quem in comparatione prætuliſti Virginio.

teſt apud te juſtior eſſe defenſio, quam ex collatione ejus quem prætuliſti. Meô quidem judiciô neuter culpandus, quorum uterque ad gloriam pari cupiditate, diverſo itinere contendit: alter dum expetit debitos titulos; alter, dum mavult videri contempſiſſe. *vale.*

EPIST: V. *Plinii*

Ex lib: IX.

Argum. *Plinius ſe excuſat, quod non poterit Romæ eſſe Calend: Januarii officii gratiâ, cùm Paulinus Conſulatum inibit; nam in Thuſcis retinebatur circa prædia ſua locanda.*

Plinius Paulino ſuo S.

Nec tuæ naturæ eſt (1) translatitia hæc, & quaſi (2) publica officia à familiaribus amicis contra ipſorum commodum exigere: & ego te (3) conſtantiùs amo, quàm ut (4) verear, ne aliter ac velim, accipias, niſi Calendis ſtatim Conſulem videro: præſertim cùm me neceſſitas locandorum prædiorum

plures

(1) vilia, non nova. (2) vulgaria quæ à multis præſtantur. (3) præ ceteris, (4) ideo non vereor, ut quid mali de me ſuſpiceris, ex eo quod non adero Romæ Calend: Ian: *dies hæc erat exordiendi Conſulatûs.*

plures annos (5) ordinatura detineat, in quo mihi nova consilia sumenda sunt. Nam priore (6) Lustro, quanquam post magnas (7) remissiones, (8) reliqua creverunt. Inde (9) plerisque nulla jam cura minuendi æris (10) alieni, quod desperant posse persolvi. Rapiunt etiam consumuntque, quod natum est, ut qui jam putent se non sibi (11) placere. Occurrendum ergo augescentibus vitiis, & medendum est: & medendi una ratio, si non (12) nummo, sed partibus locem, ac deinde ex meis aliquos exactores (13) operi, custodes (14) fructibus ponam: & alioqui nullum justius genus reditûs, quàm quod terra, cælum, annus refert. (15) At magnam fidem, acres oculos, numerosas manus poscit. Experiendum tamen, & quasi in (16) vete-

(5) ordinanda sunt, sive locanda prædia pro pluribus annis. (6) Lustrum est quinquennium, in quod locabantur bona, sicut apud nos in triennium (7) demptiones, seu donationes. (8) debita in majus aucta sunt, non solutis prioribus. (9) conductores, seu hi qui tenent prædia (10) quod nobis debent. (11) non parcere, videlicet, quod jam existiment, si fructibus pepercerint, quod supererit non futurum suum, sed Domini. (12) si non pecunias â Colonis pro fructibus, sed partem certam fructuum pro quolibet anno exigam & recipiam. (13) ut vineæ excolantur. (14) ne fructus rapiantur (15) sed hoc genus redituum Procuratores fideles, diligentes, multos poscit. (16) periculoso, desperato.

veteri morbo, quælibet mutationis auxilia tentanda sunt. Vides quàm non delicata me causa obire primum Consulatus tui diem non sinat: quem tamen hîc quoque, ut præsens, votis, gaudiô, gratulatione celebrabo. *vale.*

EPIST: VI. *Sabellici:*

Argum: *Sabellicus reddit rationem Carolo, cur promissa munera Matri suæ hucusque non miserit, eaque se missurum promittit, quàm primum nactus fuerit occasionem.*

Sabellicus Carolo suo S.

Cùm plus otii nactus fuero, plura ad te scribam, nunc brevi sic habeto: Post meum Venetias reditum me nunquam destitisse diligenter observare, per quem ad vos mitterem Damascena illa munera quæ nobilissimæ fæminæ Matri tuæ fueram pollicitus. Vix credas quantam mihi sollicitudinem ea res injecerit, quantumque pudoris, quasi per me steterit, quò minus ad hunc diem sint vobis illa delata. Nullus hinc ad vos profectus est, qui non meis precibus fatigatus abierit; sed, qui precibus aut pretiô flecti potuerit, fuit nemo. Expecto immò observo occasiones omnes,

ac ſiqua poſthac oblata fuerit, tàm libenter arripiam, quàmdiu optatum libentiſſimè. Matri tuæ optimæ me etiam, atque etiam commenda. *vale.*

Exemplum.

Excuſatur filius apud Patrem, quod ſortem ad negotiandum ſibi datam inutiliter prodegiſſet.

Lachrimas excuſſit mihi filius tuus, adoleſcens non tàm deſperandus, quàm inſtituendus. Venit ad me macie & ſquallore confectus. Rogo quid haberet? ſtatem lachrimæ obortæ. ſingultim vix narrat periiſſe ſe, quod Patrem optimum amiſerit ſuâ ſtultitiâ, Rogo quid flagitii? Fatetur ſe ſortem, quam ad negotium acceperat, in amicos inſumpſiſſe, te offenſum, animum paternum abjeciſſe. Advolutus eſt genibus meis, flevit, promiſit omnia ſe digna. Quid multa? fecit mihi pænitentiæ fidem.. Confido hôc malô edoctum poſthac diligentiorem futurum. Quare quando ipſe ad ſe rediit, te quoque in Patrem redire convenit. Satis jam graves hujus flagitii pænas luit: ita graviter fert iram tuam, ut prorſus hanc lu-

cem

cem cupiat effugere, nisi in gratiam recipiatur. Ego illum objurgavi acerrimè. Quid plura? ipse si vidisses, nec iratus lachrimas tenere potuisses. Quod reliquum est, clementer corrigi potest. Jmmodicâ severitate non frangatur animus imbecillis, cavendum est ne commiseris, ut te gravius in posterum pæniteat tuæ sevitiæ, q àm illum nunc pænitet suæ incogitantiæ. Jgnosce vel ætati: Puer est, rerum imperitus, ab improbis convictoribus impulsus est. Lapsus est, & quidem nunc primùm; culpam fatetur, orat, pollicetur, noxæ dedit se se. Quid quæris amplius Pater à filio? Cog ta & illum puerum esse & te fuisse; atque ita quod pater es, utere: ut memineris te hominem esse & hominis patrem. Nunquamne tu ista ætate lapsus es? Nunquam commisisti, quam ob rem pater tibi jure debuerit irasci? Non dubito, quin commiseris, & fortasse graviora. Hoc meritò vulgo jacitur in nos, quod obliti quales ipsi fuerimus olim pueri, filios nostros volumus illicò nasci senes. Hæc inter nos tutò ac liberè loqui licet. Multis profuit etiam lapsos esse. Erit posthac,

hôc

hôc malô doctus, cautior. Habebis filium, ſi hujus delicti gratiam feceris, addictiorem. Et hunc puerilem errorem officiis abundè penſabit. amat ac veretur unicè patrem, indolis eſt probæ, pudicum ingenium, animus minimè ſtupidus. Multa in eo ſigna video, quæ mihi certam ſpem faciunt, illum poſthac talem futurum, qualem utrique volumus. Adoleſcentem igitur tibi in manus reſtituo, totam cauſam ad me rejicio, pro illo fidejuſſorem me con tituo, quod ſi noxam addiderit, utrumque abjicere licebit, & filium & amicum. *vale.*

EPISTOLÆ GRATIARUM-ACTORIÆ

EPIST: I. *Ciceronis* Ex lib: 2. Famil: IX.

Argum: *Cælius amicus Ciceronis adeptus eſt Ædilitatem Curulem, quam etiam petiit Attilius homo jactabundus; quippe, qui dicere ſolitus erat omnes adoleſcentes Romanos habere ſe, qui in eo ſibi Magiſtratu conſequendo ſuffragarentur. Gaudet itaque imprimis Cicero, quod Cælius Attilium Competitorem vicerit, agitque illi ex eo gratias, quod hominem ſuperbum omnium riſui reliquerit.*

M.T.C.

M.T.C. Cælio Rufo Ædili Curuli S. D.

Primùm tibi, ut debeo, gratulor, lætorque cùm præſenti, tùm etiam ſperatâ tuâ dignitate, (1) ſeriùs, non negligentiâ meâ, ſed ignoratione rerum omnium; in (2) his enim ſum locis, quò & propter longinquitatem, & propter latrocinia, tardiſſimè omnia perferuntur. Et cùm gratulor, tùm verò quibus verbis tibi gratias agam, non reperio, quod (3) ita factus ſis, ut dederis nobis, quemadmodum ſcripſeras ad me, quem ſemper ridere poſſemus. Jtaque cum primùm audivi; (4) ego ille ipſe factus ſum; ſcis quem dicam; (5) egique omnes illos adoleſcentes, quos ille jactitat. difficile eſt loqui. Te autem contemplans abſentem, & quaſi tecum coram loquerer: (6) *Non ædepol, quantam egeris rem, neque quantum facinus fece-*

(1) quod tardius tibi gratuler. (2) Cicero in Cilicia fuerat Præfectus. (3) quod eo modo factus ſit Ædilis. (4) dicit Cicero, ut primùm audivit de Ædilitate Cælii, ſe factum eſſe Attilium. (5) repræſentavi omnes illos juvenes, quos Attilius jactitabat ſe habere pro ſua parte. (6) inducit ſe Cicero, tanquam Attilium admirantem, quid egerit, quid fecerit Cælius?

feceris: Quod quia præter opinionem mihi acciderat, referebam me ad illud (7) *incredibile hoc factu objicitur.* Repente verò incessi omnibus lætitiis, in quo cum objurgarer, quod nimio gaudio pænè desiperem, ita me defendebam: *ego voluptatem habui nimiam.* (8) Quid quæris? dum illum rideo, pænè sum factus ille? Sed hæc pluribus: multaque alia & de te, & ad te, cùm primùm ero aliquid otii (9) nactus. Te verò mi Rufe diligo, quem mihi fortuna dedit amplificatorem dignitatis meæ, ultorem non modò inimicorum, sed etiam invidorum meorum, ut eos partim scelerum suorum, partim etiam ineptiarum pæniteret. *vale.*

EPIST: II. *Ciceronis* Ex lib: 3. Famil: XIII.

Argum: *Cùm Cicero in Cilicia Imperator esset, Appius & in decernenda ei Supplicatione, & in conferendis in Familiam ipsius beneficiis maximum adhibuit studium. Quamobrem gratias agit Cicero Appio; ostenditque 1mo. sua in eum bene-*

(7) hæc verba etiam quasi essent Attilii, quod ille nunquam crediderat, ut Cælius fieret Ædilis. (8) putasne, quod verè factus sum Attilius? (9) subintelligitur, scribam.

beneficia, quibus meritus eſt ejus benevolentiam 2do. laudat Appium pro ſingulari ejus virtute. 3tio. promittit ſe illi in omnibus rebus tùm publicis, tùm privatis fore ſocium. 4to. ad deponendas ſimultates, quas babuerat cum Dolabella genero ſuo, tacitè eum hortatur, quod & ſperat futurum. denique dicit ſibi nihil eſſe detractum de amore erga Appium per Dolabellam, poſtremò finit Epiſtolam cum laude Appii, quod jam cum bæc ſcriberet, Appius eſſet factus Cenſor.

M.T.C. Appio Pulchro S.D.

Quaſi (1) divinarem, tali in officio fore mihi aliquando expetendum ſtudium tuum; ſic, cùm de tuis rebus geſtis agebatur, inſerviebam honori tuo. Dicam tamen verè: plus quàm acceperas, reddidiſti. Quis enim ad me non perſcripſit, te non ſolum auctoritate (2) orationis, ſententiâ tuâ, quibus ego à tali viro contentus eram, ſed etiam operâ, conſiliô, domum veniendo, conveniendis meis, nullum onus officii cuiquam (3) reliquum feciſſe? Hæc mihi ampliora multò ſunt, quam illa ipſa, propter quæ hæc laborantur. (4) Inſignia enim

 vir-

(1) quaſi præſcirem, te ita mihi gratum fore, ſic tuo honori ſtudui. Notandum hic, Ciceronem oſtendere beneficia Appii non eſſe gratuita. (2) ſermone graviſſimo habito in ſenatu pro Cicerone. (3) nihil reliquiſti, quod alii facerent pro Domo mea. (4) honores etiam fortunâ aſſequuntur plurimi.

virtutis multi etiam ſine virtute aſſecuti ſunt; (5) talium Virorum tanta ſtudia aſſequi ſola virtus poteſt. Jtaque mihi propono (6) fructum amicitiæ noſtræ, ipſam amicitiam; quâ nihil eſt uberius, præſertim in (7) iis ſtudiis, quibus uterque noſtrum devinctus eſt. Nam tibi me profiteor & in Republica ſocium, de qua idem ſentimus, & in quotidiana vita conjunctum cum iis artibus, ſtudiisque, quæ colimus. Velim ita fortuna tuliſſet, quanti ego omnes tuos facio, uti tu (8) meos facere poſſes: quod tamen ipſum, neſcio, quâ permotus animi divinatione, non deſpero. Sed (9) hoc nihil ad te, noſtrum eſt onus. Jllud velim ſic habeas: quod intelliges (10) hac de re novata, additum potiùs aliquid ad meum erga te ſtudium, cui nihil videbatur addi poſſe, quàm quid-

(5) qualis tu es, clariſſimus ſcilicet, niſi virtute compari poteſt. (6) honoribus, quos dicit fructus eſſe amicitiæ, plurima enim ſe dicit aſſecutum eſſe propter amicitiam Appii. (7) in ſtudiis Reipublicæ (8) optat tacitè, ut cum Dolabella habitas ſimultates deponat, & reconcilietur eidem. (9) neque tibi inimicitia Dolabellæ oberit, neque amicitia proderit, nos hoc ſpectat, ut ei reconcilieris. (10) hâc novâ affinitate mea cum Dolabella (gener enim erat Ciceronis) nihil ſibi eſſe detractum de amicitia cum Appio, dicit Cicero

quidquam esse detractum. Cum hæc scribam, (11) Censorem jam te esse sperabam; eò brevior hæc est epistola, & ut adversus Magistrum morum, modestior: *vale.*

EPIST: III. *Ciceronis.*

Ex lib: 13. Famil: XXVII.

Argum: *Cicero priori epistolâ commendaverat Avianum-Hammonium, & negotia Æmilii Aviani Servio Præfecto in Achaia; suscepit hanc commendationem Servius libentissimè, & Hammonium ac negotia Æmilii honorificentissimè tractavit. Quamobrem Hammonius referendo Ciceroni, quô animô fuerit Servius erga se, gratias egit & suo & Æmilii Nomine, pro commendatione sui. Pro hac igitur in illos liberalitate & gratia, agit gratias Servio; tùm commendat eorumdem negotia; denique scribit sibi esse in deliciis filium ejusdem Servii.*

M. C. Servio S. D.

Licet (1) eôdem exemplô sæpius tibi hujus generis literas mittam, cum

G3 grati-

(11) Censor erat Magister morum, itaque precando Appio accessionem honoris, nam defacto Appius futurus erat Censor, dicit se Cicero ideo modestiorem epistolam scribere, tanquam ad Censorem jam Appium.

(1) Cicero miserat jam sæpius literas gratiarum-actorias ad Servium, idemque faciendum adhuc se promittit, dicit itaque se scripturum in eadem materia diverso modo, quemadmodum Juris - consulti in suis formulis facere solent,

gratias agam, quod meas commendationes tàm diligenter obſerves; quod feci in aliis, & faciam, ut video ſæpius: ſed tamen non parcam operæ, & ut vos ſoletis in formulis, ſic ego in Epiſtolis de eadem re aliô modô. C. Avianus igitur Hammonius incredibles mihi gratias egit, & ſuo, & Æmilii Aviani, (2) Patroni ſui, nomine, nec liberalius, nec honorificentius potuiſſe tractari, nec ſe præſentem, nec rem familiarem abſentis Patroni ſui. (3) Jd mihi cum jucundum eſt eorum causâ, quos tibi ego ſummâ neceſſitudine & ſummâ conjunctione adductus commendaveram, quod M. Æmilius unus eſt ex meis familiariſſimis, atque intimis, maximè neceſſarius homo, & magnis meis beneficiis devinctus, & propè omnium, qui mihi debere aliquid videntur, gratiſſimus: tùm multò jucundiùs, te eſſe tali in me voluntate, ut plus proſis amicis meis, quàm ego præſens fortaſſe prodeſſem: credo, quod magis ego (4) dubitarem, quid illorum

cau-

(2) Tutoris, Mecænatis. (3) quod Aviano & Æmilio hanc benevolentiam præſtiteris. (4) magis dubitarem quid propter eos facere deberem, quam tu, quid faceres propter me.

causâ facerem, quam tu, quid meâ. Sed hoc non dubito, quin existimes mihi esse gratum. Jllud te rogo; ut illos quoque gratos homines esse putes; quod ita esse tibi promitto, atque confirmo. Quare velim, quidquid habent negotii, des operam, quod (5) commodô tuô fiat, ut te obtinente Achaiam, conficiant. Ego cum tuo (6) Servio jucundissimè, conjunctissimèque vivo, magnamque cùm ex ingenio ejus; singularique studio, tùm ex virtute & probitate voluptatem capio. *vale.*

EPIST: IV. *Bembi.*
Ex lib: 2.

Argum: *Grimanus Cardinalis multa beneficia contulit Angelo Utini commoranti; quod cum rescisset Bembus, Amicus Angeli; refert gratias Cardinali, dicitque omnia, quæcunque fecit Cardinalis Angelo (alioqui Adolescenti per se probo & literis ornato) sibi facta esse, cùm amicorum sint omnia communia; tùm commendat magis eundem Angelum Cardinali, dicitque proprium esse magnorum virorum benefacere.*

P. Bembus Dominico Grimano Cardinali S.P.D.

Summô gaudiô affectus sum ex iis literis, quas ab Angelo meo proximè acce-

(5) quod tibi non sit molestum. (6) filius Servii.

accepi, quibus mihi significabat , quàm insigne tu nuper in eum beneficium, quàmque humaniter & liberaliter contulisses. Nam etsi ego semper ita existimavi, ejus te adolescentis, vel probitatem, optimosque mores, vel certè doctrinam & mirificum ingenium jacere, & tanquam in obscuro esse, diutiùs non passurum; tamen vehementer lætor, hominis mihi conjunctissimi, & quem ego semper in germani fratris habui loco, fovendi atque ornandi abs te initium factum. Nunc autem, quoniam illi mecum omnia semper communia fuêre; hæc scripsi tibi: ut scires, non te uni tantùm egenti Civi opem, & auxilum præstitisse, aut omnino uni familiæ, qui Angelo Gabrieli prestiteris ; sed & mihi etiam , & familiæ meæ. Neque enim est dicendum: quorum hominum animi sententiâ & voluntate conjuncti , copulatique sunt, quibus animis fortunæ (1) imperatur, eos etiam suas ipsorum fortunas non easdem putare . Jtaque ago tibi gratias pro mea portione,quàm possum, maximas: petoque duas res à te: unam, ut quantùm tibi debere ipsum

Ange-

(1) *fortuna & honor animi virtutem sequuntur.*

Angelum ſentis, pro eo, in quo tu eum erigis jacentem, ac ſublevas; tantùm me quoque ipſum, certè tibi ſemper obligatum putes; alteram, ut ſi te clienti tuo, viro innocenti, ac frugi, deque te (2) bene merito dediſſe operam exiſtimas; pergas ei te beneficum ac liberalem præſtare. Omnino mihi quidem ita videtur; nec eſſe quidquam tàm proprium magnorum virorum, quàm bene facere quàm plurimis, neque te habere quemquam ex omni familia tua; à quo, vel magis memorem animum, & gratum acceptorum à te munerum, vel uberiores fructus operæ, ingenii, ſtudiorum tibi ipſi polliceri poſſis. *vale*

EPIST: V. *Bembi.*
Ex lib: 6.

Argum: *Andreæ Alciato Bembus gratias agit pro gratulatione de Cardinalatu ſuo facta; dicitque imprimis eam gratulationem eſſe ſuperabundantem, quam tamen ex maximo amore promanare magni æſtimat; denique pollicetur hanc ſuam dignitatem commodo & utilitati Andreæ futuram, ſi neceſſitas poſtulaverit.*

P. Mem-

(2) ſi exiſtimas te hominem dignum promoviſſe, & beneficiis cumulaſſe; promoveas eundem in altiores gradus dignitatis.

P. Bembus Adreæ Alciato S.P.D.

Gratulatio deCardinalatu meo tua valde mihi grata & jucunda accidit. Tametsi tu in recensendis lætitiæ tuæ causis, (1) longiùs proveheris; quàm à me agnosci possit te non decipi. Sed est (2) ejusmodi lapsus non perferendus modò, verum etiam amplectendus. Amoris enim abundantiâ provenit: quæ quò major est, eò minus recte judicat. Amore autem nihil homini datum est svavius, nihil fructuosius. Jtaque de officio isto tuo, elegantissimisque tuis atque humanissimis literis valde, me hercule, te amo. Mea verò hæc, de qua lætaris, dignitas erit mihi etiam jucundior, si in te ornando afferre aliquid poterit, quo meus erga te amor cùm tibi, tùm reliquis hominibus esse notior atque testatior possit. Quanquam ea tua excellens præclaraque doctrina, eæ sunt tuæ plurimæ præstantissimæque virtutes, ut alienæ opis minimè omnium indigeas. *vale.*

EPIST:

(1) supra, quam par est, laudes meas amplificas, ut fere cognoscam te mihi immeritò aliqua tribuere. (2) nimia laudatio.

EPIST: VI. *Bembi.*
Ex lib: 6.

Argum: *Idem est quod Superioris Episto-læ, eædemque partes.*

P. Bembus Georgio Giraldo S.P.D.

Accepi gratulationem tuam humanitatis & benevolentiæ plenissimam. Nihil est enim à te prætermissum earum rerum, quarum commemoratione probari (1) Pauli Pont: Max: de me judicium & cooptatio potuerit testimoniô tuô. Quo quidem nihil gratius potuit accidere. Sed vereor, ne te eum sermonem ingressum, longius, quàm par erat, provexerit voluntas ipsa in me ornando tua. Quod si est; eò tibi largius debeo, quò tu plura in nos, quàm quæ agnosci possent, virtutum ornamenta contulisti: Omnino tota de re tuisque his literis tam benevolis, valde medius fidius te amo: doctrinamque tuam facio sanè plurimi. Quod si se mihi occasio aliqua dederit, ut tibi usui sim, te magnopere & amari à me, & probari senties. *vale.* EPIST:

(1) Paulus Pontifex Max: adlegit Collegio Cardinalium Petrum Bembum, quem Pontificem in sua Epistola gratulatoria summis extulit laudibus Giraldus, hoc itaque sibi maximè habet gratum.

EPIST: VII. *Plinii.*
Ex lib 4.

Argum: *Plinius liberis ex Matrimonio destitutus, petiit sibi à Trajano concedi jus liberorum, hoc est; ut sibi liceret, quos vellet, adoptare filios, idque egerat per Servianum, qui bis fuerat Consul sub Trajano; Jus hoc & quidem trium liberorum cum habuerit sibi concessum Plinius, agit gratias Trajano.*

Plinius, Trajano, Jmp:

Exprimere, Domine, verbis non possum, quantum mihi gaudium attuleris, quod me dignum putasti jure trium liberorum; quamvis enim Julii Serviani optimi viri, tuique amantissimi precibus indulseris, tamen etiam ex (1) rescripto intelligo, libentiùs hoc (2) ei te præstitisse, quia pro me rogabat. Videor ergo (3) summam voti mei consecutus, cum inter initia felicissimi principatus tui, probaveris me ad (4) peculiarem indulgentiam tuam pertinere; eoque

(1) dato ad Servianum, nam Iurisconsulti, qualis fuit Servianus) nomine Principum rescribebant subditis. (2) Serviano deprecante. (3) maximum votorum meorum, vel, quod maximè precatus sum. (4) quia parcus fuit Trajanus in hoc beneficio concedendo, ideo dicitur peculiare.

eòque (5) magis liberos concupiſco, quos habere etiam (6) illô triſtiſſimô ſæculô volui, ſicut potes duobus matrimoniis meis (7) credere. Sed Dii melius, qui omnia integra bonitati tuæ reſervarunt. malui hoc potius tempore me Patrem fieri, quò futurus eſſem & ſecurus, & felix. *vale.*

EPIST: VIII. *Plinii.*

Ex lib: 10.

Argum: *Plinius & Socrus ejus rogarunt Trajanum Jmp: ut Cælium, finito Conſulatu ſuo, præficeret Bithyniæ Provinciæ. Pro quo beneficio, ſe & Socru ſuâ rogantibus, Cælio præſtito, Plinius gratias agit Trajano.*

Plinius Trajano.

Difficile eſt, Domine, exprimere verbis, quantam perceperim lætitiam, quod (1) & mihi & ſocrui meæ præſtitiſti, ut ad finem Conſulatus Cælium Clementem in (2) hanc Provinciam transferres.

(5) quod te tam benevolum mihi experiar. (6) cum diſtracta Republica nulla ſpes erat aut bonorū poſſidendorum, aut honoris conſequendi. (7) Colligere ex eo, quod duas uxores habuerim propter hæredes,

(1) quod me & ſocru meâ rogantibus, præſtiteris id, ut &c. (2) Bithyniam.

ferres. Ex illo enim (3) mensuram beneficii tui penitus intelligo, cum tam plenam indulgentiam, cum tota Domo mea experiar, cui referre gratiam parem, nec audeo quidem, quamvis maximè debeam; itaque ad vota confugio, deosque precor, ut iis, quæ in me assiduè confers, non indignus existimer.

EPIST: XI. *Sabellici*

Argum: *Sabellicus scribit pergratum sibi esse, quod in filii sui negotio amicus tantum laborarit, quantum optimus exitus ejusdem negotii exigere videbatur.*

Sabellicus Martino Arbensi S.

Etsi officium mitti non debet in quæstum, nullum tamen eô esse quæstuosius potest, quô amicitia paratur, quale fuit nuper illud, quod tu, vir clarissime, in filii mei negotio, mihi præstitisti. Vix credas, quàm sit mihi gratum: quod tu vir istâ dignitate, & eruditione, tantum laboris meâ causâ adieris, ut non solum id negotium libenter suscipere dignatus sis, sed to-

tis

(3) quàm magna sint in me beneficia tua.

tis etiam viribus elaboraris, ut ex Sententia nobis conficeretur. Sim ego omnino ingratus, nisi tantum tibi omni tempore debere velim, quantum homo homini debere potest. Spero amicitiam hanc tuis auspiciis initam perpetuis incrementis auctum iri. Jd ut fiat, eò plus est mihi annitendum, quàm tibi; quod vix tàm officiosum sit gratiam constituere, quàm turpe, & invidiosum non recipere, aut receptam non tueri. Sed cur non tuear, aut cur non potius is sim quem tu tuô officiô & benevolentiâ esse voluisti, quique gratiam hanc per te auspicacissimè inchoatam non solum augere possim, sed ad posteros etiam illustrare? Vale, & hoc tibi persvadeas, velim, ex omnibus amicis, quos tua virtus tibi conciliavit, qui plenius Sabellicô sit tibi in amicitia responsurus, esse neminem.

Exemplum.

Gratiæ referuntur pro munere sibi collato.

Accepi munus tuum, re quidem magnificum, sed te Authore longè mihi tùm pretiosissimum, tùm jucundissimum. Rectè enim à Nasone scriptum est: sic acceptissima semper munera sunt, Autor

thor quæ pretiosa facit. Quô quidem quid me tibi devinctum esse fatear, cum sim jam olim devinctissimus? Totus in ære tuo sum: arctioribus vinculis me tibi astringere non potes. Quod referam vel istô munere, vel potiùs tuô istô in me animô, qui mihi munere ipso longè est svavior, dignum, nihil habeo, nisi me ipsum, quem si alicujus esse pretii putas, totum peculio tuo adscribito. Crede mihi nihil habes in omni genere possessionum tuarum, quô tu tàm propriè possis & uti, & abuti, quàm Basiliô tuô *vale,*

Aliud.

Gratiæ referuntur pro officiis amico præstitis.

Multa sunt tua erga me officia, at nullum omnium mihi fuit aut opportunius, aut jucundius, quàm quod fratrem meum in causa difficillima tuô patrociniô juveris. Qui est mihi propemodum me ipsô charior, ita quidquid in illum contulisti, id mihi gratius etiam videri debet, quàm si in me ipsum esset collatum. Sed ne diligentius tibi gratias agam, nostra familiaritas flagitare videtur. Neque enim tu novi quid

quam

quam fecisti, & ego re, quàm verbis beneficium rependere malim. *vale.*

EPISTOLÆ GRATULATORIÆ.

EPIST: I. *Ciceronis* Ex lib: 2. Famil: V.

Argum: *Cicero gratulatur Curioni, quod absens, vel quia civiles miserias non videat, vel quod sit ibi, ubi magnam ex recte-factis laudem consequatur. Pestremò hortatur eum, ut omnia paret, omnia cogitet, quibus Respublica fortiter defendi possit, cum ejus solius auxilio videatur indigere.*

M. T. Cic: C. Curioni S.P.D.

Hæc (1) negotia quomodo se habeant, ne (2) epistolâ quidem narrare audeo tibi, etsi ubicunque es (ut scripsi ad te antea) in (3) eadem es navi: tamen quod abes, gratulor, vel quia non vides ea, quæ nos; vel quod (4) excelso

 & il-

(1) innuit tacitê pessimum statum Reipublicæ. (2) neque per epistolam, quæ secretum tenet, audeo deferre. (3) eidem periculo es expositus. cui & ego. (4) in Asia, ubi plurimi Romani & Socii *Romanorum* multi erant, optimè se gessit Curio, unde laudem maximam comparabat.

& illustri loco sit laus tua, in plurimorum & sociorum, & Civium conspectu; quæ ad nos nec obscurô, nec vario sermone, sed & clarissimâ, & una omnium voce perfertur. Unum illud nescio, gratulerne tibi, an timeam, quod (5) mirabilis est expectatio reditus tui: non quod verear (6) opinioni hominum non (7) respondeat; sed, me hercule, ne, cùm veneris, non habeas jam, quod cures; ita sunt omnia debilitata, jam propè & extincta. Sed (8) hæc ipsa, nescio rectenè sint literis commissa. quare cetera cognosces ex aliis. Tu tamen sive habes aliquam spem de Republica, sive desperas, ea para, meditare, cogita, quæ esse in eo Cive ac Viro debent, qui sit Rempublicam afflictam & oppressam miseris temporibus, ac perditis moribus, in veterem dignitatem, ac libertatem vindicaturus.

EPIST: II. *Ciceronis*
Ex lib: 15. Famil: VII.

Argum: *Gratulatur Cicero Marcello, quod esset Consul designatus; optatque eum feliciter gere-*

re

(5) quod vehementer ab omnibus reditus tuus desideretur. (6) dicit omnes existimare à Curione vindicandam Remp: (7) non propterea, quod quasi dubitem, ut respondeat reditus tuus votis omnium. (8) sed & hæc, quæ innui de Republica, timeo ne revelentur.

re hunc Magiſtratum, adminiſtrareque pro dignitate tùm ſua, tùm Patris ſui; poſtremò commendat ei ſuam dignitatem.

M.T.C. Procos. C. Marcello Cons: Deſign: S.P.D.

Maximâ ſum lætitiâ affectus, cùm audivi te Conſulem factum eſſe, eumque honorem tibi Deos fortunare volo, atque à te pro tua Parentiſque tui dignitate adminiſtrari. Nam cùm te ſemper amavi, dilexique, tùm mei amantiſſimum cognovi in omni (1) varietate rerum mearum; tum Patris tui pluribus beneficiis, vel defenſus triſtibus temporibus, vel ornatus ſecundis; & ſum totus veſter, & eſſe debeo, cùm præſertim matris tuæ graviſſimæ atque optimæ fæminæ, majora erga ſalutẽ dignitatemque meã ſtudia, quã erant à muliere poſtulanda, perſpexerim. Quapropter à te peto in majorem modum, ut me (2) abſentem diligas, atque defendas.

EPIST: III. *Bembi.*

Ex lib: 1.

(1) ſecundis & triſtibus temporibus, tempore pacis & bellorum civilium. (2) erat enim tunc Cicero Ciliciæ Præfectus.

Argum: Paulus Piſanus cum rediens ex Legatione Romana, Venetiis adhuc commoraretur deſignatus eſt Triumvir cum Bembo Patre hujus Bembi, de eo itaque Triumviratu gratulatur Bembus tum Paulo, tum Reipublicæ, cujus gloria cum ejus honore conjuncta eſt, dicitque nihil eſſe poſſe gloriosius Reipublicæ, quàm à viris ſapientibus, qualis eſt Paulus, gubernari.

P. Bembus Paulo Piſano Equiti Triumviro deſignato S.P.D.

Gratulari quidem me per hanc epiſtolam oportet; atque unū (1 id planè mihi eſſe faciundum ſcio. Cui autem gratuler potiſſimum? id mihi dubium facit, (2) vel virtus, vel etiam felicitas tua. Nam quod Romanâ legatione defunctus ſis, laborioſâ illâ quidem & gravi; quod ſoſpes redieris ad tuos; de eo tibi eſſe ſtatuo gratulandum, idque me tecum rectè facere puto. Quod autem nondum etiam reverſum in Patriam, (3) illa te ampliſſimis Magiſtratibus honeſtarit, de qua, te optimè meritum omnes homines prædicant; in (4) eo mihi videtur non tam tui, quàm etiam Rei-

(1) ut tibi gratuler. (2) utrum virtuti, an felicitati tuæ ſit laus tribuenda. (3) Patria, de qua es optimè meritus (4) quod dignitate adornatus ſis, cum nondum reverſus fueris in Patriā, ex eo & tua maxima virtus, & Reipublicæ utilitas colligitur

Reipublicæ habitam eſſe rationem. Jlla enim ex quo te uti cæpit, uberes ſemper fructus ex te, voluptateſque percepit; tu verò & in iis Legationibus, quas antea geſſiſti paſſus es permagnos fluctus laborum, & ex his muneribus quæ nunc geres, maximas es, ut mihi quidem videtur, negotiorum undas, tempeſtateſque perpeſſurus. Tùm etiam illud accedit, quod eæ munerum (5) acceſſiones; ut ego ſemper exiſtimavi, quæ in optimos Cives fiunt, non tàm ad eorum pertinent dignitatem, quæ quidem (6) aucta eſſe ſemper debet ipſa ſatis ex ſe ſe; quàm ad Reipublicæ gloriam ſempiternam; cui quid poteſt eſſe glorioſius, quàm à viris ſapientibus regi, & gubernari? Quod ſi tui ſimiles in noſtra Urbe multos Cives haberemus; fortaſſe hæc illa eſſet Reſpublica, quam beatam eſſe dicere verè liceret. Jtaque, ut ad me redeam, quo genere gratulationis utar, non ſatis explicatum habeo; vel potius habeo, ac planè jam ſcio. Nam quod in tua felicitate poſitum eſt, de eo tibi eſſe gratulandum

puto;

(5) honorum, Magiſtratuum collationes. (6) cum viri optimi, per ſe ſe digni ſunt.

puto; quod in virtute, Reipublicæ; nisi me malis tu, hâc epistolâ philosophari: ut (7) ea una, quæ in animo sita sunt, tua demum ipsius ducam, deque iis tibi gratuler potissimum; Quæ autem fortunæ sabjecta sunt, de (8) iis cum Republica bene-actũ putem, in qua & casus & fortuna plerũque dominantur. Sed vides quo (9) laboror? Jam mihi est de utroque, scilicet, & tibi & Reip: gratulandum. Neque enim vereor, ne quis me reprehendat; si noverit, mihi cum Sapientissimo Philosopho, & Senatore præstantissimo esse sermonem. Sit itaque sanè hoc, Paule, sit inquam & nobis eveniat sæpius, ut tibi & Reip: gratulemur. Cupimus enim, quod etiam optare debent omnes boni, ut & tu illam exornes semper, & illa te; ita enim & se se illustrabit illa maximè, & ipse sempiternã facies benè agendo, beneque consulendo, memoriam nominis tui. Et verò enim semper optimi cujusque Civis gloria cùm Reip: gloria conjuncta est; neque clara esse ulla Resp: potest sine

(7) ut id unicum bonum, quod in animo situm est, id est, virtutem, tuum esse dicam. (8) de iis, quæ casu, vel fortunâ Reipublicæ sunt utilia, gratulandum est Reipublicæ. (9) quid intendam.

ſine ſuorum Civium ſplendore ac dignitate. Cæterùm, quod ſupereſt, gaudeo etiam plurimùm mihi, qui te in Triumviratu video Collegam Bembi Patris mei fore; quem quidem ille, unum ſibi maximè omnium optaverit contigiſſe, poſteaquam ei(9) Marcum Sanutum Collegam alterum Prætura Bergomenſis eripuit. *vale.*

EPIST: IV. *Bembi:*

Ex lib: 4.

Argum: *Bembus gratulatur Cardinali Sanctæ Crucis reditum Romam ex Legatione Germanica, declaratque ſe eſſe ſemper ejus memorem, & promittit ſe Romæ propediem futurùm.*

P. Bembus Cardinali S. Crucis S.P.D.

Cùm primùm mihi renuntiatum eſt id, quod maximè intelligere cupiebam, te ex illa tua laborioſa Legatione Germanica, Romam (1) multa cùm laude atque gloria ſalvum ſoſpitemque rediiſſe, tùm meum officium eſſe duxi, ut tibi gratuler, qui quaſi ex tempeſtate in portum, ita ex magnis laboribus,

&

(9) cum Bembo fuit Triumvir Marcns, is factus eſt Prætor, & in ejus locum ſucceſſit Paulus

(1) ex eo, quod legationem glorioſè peregiſſet.

& longo itinerum errore incolumis redieris ad tuos; tum mihi ſtatui gaudendum, quod te, quô ego unô Patronô optimô atque humaniſſimo utor; non jam inter ultimas, efferaſque Gentes verſari, ſed apud Julium Pontificem Max: in veſtro Cardinalium Collegio eſſe Romæ, hoc eſt, in Orbis terrarum (2) Theatro maximo, atque pulcherrimo audierim. Jtaque hæc ad te ſcripſi, ut ſcires me, & tui memoriam abſentis diligentiſſimè ſemper coluiſſe, & nunc reverſi amplitudine atque gloriâ vehementer lætari. Quod ſi mihi per negotia licebit, præſens te in Urbe propediem ſalutabo. *vale.*

EPIST: V. *Plinii*

Ex lib: 6.

Argum: *Servianus Vir princeps ſpoponderat filiam ſuam Fuſco Salinatori in uxorem; id igitur tanquam optimè factum gratulatur Plinius Serviano, Salinatoris virtutes probat, optatque filios ei naſci.*

Plinius Serviano Suo S.

Gaudeo & gratulor, quod Fuſco Salinatori filiam tuam deſtinaſti. (1) Domus

(2) intelligit Romanam Urbem in Orbe terrarum præclaram & maximè conſpicuam. (1) Laudat Salinatorem à majoribus, qui fuerunt Senatores.

mus Patritia, Pater honeſtiſſimus, Mater pari laude. Jpſe (2) eſt ſtudioſus, literatus, etiam diſertus, puer ſimplicitate, comitate juvenis, ſenex gravitate; neque amore (3) decipior. Amo quidem effusè (ita officiis, ita reverentiâ meruit) judico tamen, & quidem tantò acriùs, quantò magis amo; tibique, ut (4) qui exploraverim, ſpondeo habiturum te Generum, quô melior fingi, ne votô quidem potuit. Supereſt, ut (5) avum te quàm maturiſſimè ſimillimum ſui faciat. Quàm felix tempus illud, quo mihi liberos illos, nepotes tuos, ut meos, vel liberos, vel nepotes ex veſtro ſinu (6) ſumere, & quaſi pari jure tenere contingat! *vale.*

EPIST: VI. *Plinii.*

Ex lib: 10.

Argum: *Plinius gratulatur Trajano Jmp: quod brevi poſt adoptionem accepit Jmperium Romanum, eique felicitatem optat.*

Pli-

(2) ipſe Salinator reddit ſe aptum, accommodat ſe ad munia Reipublicæ. (3) in iis, quæ dico non excæcor amore, quô, propter ejus officia in me, illum proſequor. (4) qui perſpexi ejus dotes, (5) ut filium ſibi ſimilem habeat. (6) geſtare, complecti.

Plinius Trajano.

Tua quidem (1) pietas, Jmperator Sanctiſſime, optaverat, ut quam tardiſſimè ſuccederes Patri; ſed Dii immortales feſtinarunt virtutes tuas ad gubernacula Reipublicæ, (2) quam ſuſceperas, admovere. Precor ergo, ut tibi & per te generi humano proſpera omnia, id eſt, digna ſæculo tuo contingant. Fortem te, & hilarem, Jmperator optime, & privatim, & publicè opto.

EPIST: VI. *Sabellici:*

Argum: *Sabellicus gratulatur amico de acceſſione Dignitatis, oſtenditquê ſe amantiſſimum illius.*

Sabellicus Joſepho S.

Gratulor tibi, vir amiciſſime, quod Belumenſes, ut audio, te publicè inauctorarint; & ſi ſerò, gratulor tamen, cupioque feliciter tibi evenire: quod non parvis initiis cæperis, & publicè profiteri. Video factum eſſe tibi gradum ad

ea

(1) pietas erga Nervam Patrem ſuum, à quo adoptatus fuerat in filium, & quem Imperatorem optaverat fore quâm diutiſſimè, quo tamen mortuo, brevi ſucceſſit in imperium (2) quia Trajanus Rempublicam, permittente Nerva, etiam cum is in vivis adhuc exiſteret, gubernavit.

ea laudum incrementa, quæ de te ſum mihi ſemper pollicitus; utinam tibi in tanto rerum ſucceſſu, tuarum laudum vel ſpectator vel, fautor adeſſem; noſtrum teſtimonium ad te ornandum nunquam defuiſſet. Quanquam nihil eſt virtute ipsâ commendabilius, quippe quæ ita omnibus tuæ vitæ partibus elucet, ita ſe ſe effert, ut qui eam in te non exoſculatur, Phineo credi poſſit & Ædipode cæcior. Sed quod noſtrum ſit de te judicium, malo ex his intelligas, qui nos quâcunque in corona, & cætu hominum de ingeniis noſtri ſæculi differentem audivêre; nunc tantum de uno habeto chariorem eſſe mihi neminem. Da operam, ut ego quoque intelligam me mutuò abs te amari. *vale.*

Exemplum.

Amicus Amico gratulatur novam dignitati ſuæ acceſſionem.

Literæ tuæ ſvaviſſimæ, quibus te novis honoribus ornatum nuntias, tantâ me lætitiâ impleverunt, ut prorſum dubitem, cui potiſſimum gratulari debeam; tibine, cui tanta dignitas, nec petenti, nec cogitanti contigerit? an Pa-

triæ, quæ talem ſit Senatorem habitura? an Principi, qui talem Conſiliarium; an mihi potiùs, qui tuis fortunis perinde ac meis delector? gratulari certè debeo omnibus, ſed cùm probè noverim te iſtiusmodi ornamenta ne deſiderare, ſuſpiciamque te tantò iſtô honore digniorem, quò delectaris minùs, virtuti tuæ vel maximè gtatulor. *vale.*

EPISTOLÆ HORTATORIÆ.

EPIST: I. *Ciceronis* Ex lib: 2. Famil: VI.

Argum: *Cicero intendit Curionem cohortari ad laudem & gloriam bonis artibus comparandam, idque tacitè inſinuat; ut Rempublicam, quæ jam tunc propè extingui videbatur, in veterem dignitatem & libertatem vindicare ſtudeat. Eſt autem artificioſum exhortationis genus, quod ex abrupto non expoſuerit, quid vellet, aſt poſitis tantum tribus epiſtolarum generibus, cum dicat ſibi nullum ſcribendi argumentum ſuppetere, oſtendit ſe tanquam coactum hortari Curionem ad amplectendam Rempublicam.*

M.T.C. C. Curioni S.P.D.

Epiſtolarum genera multa eſſe non ignoras; ſed unum illud certiſſimum

cujus

cujus causa inventa (1) res ipsa est, ut certiores faceremus absentes, si quid esset, quod eos scire, aut nostrâ, aut ipsorum interresset. Hujus generis à me profectò non expetis; tuarum enim rerum domesticarum habes & scriptores & nuntios. In meis autem rebus nihil est sanè novi. Reliqua sunt epistolarum genera duo, quæ me magnopere delectant: unum familiare & jocosum, alterum severum & grave. (2) Utrò me minus deceat uti, non intelligo. Jocerne tecum per literas? civem, me hercule, non puto esse, qui temporibus * his ridere possit. An gravius aliquid scribam? quid est, quod possit graviter à Cicerone ad Curionem scribi, nisi de Republica? Atque in (3) hoc genere hæc mea causa est, ut neque ea, quæ nunc sentio, velim scribere. Quamobrem, quoniam nullum mihi scribendi argumentum relictum est, utar ea clausula, quâ soleo, teque ad studium summæ laudis cohortabor. Est enim tibi gravis

(1) Epistola ipsa. (2) neutro horum genere convenit me uti. * pessimis. (3) de Republica etiam nolo tibi scribere; idque ob causam, quæ non declaratur, sed tamen subintelligitur, nempe, ob timorem Cæsaris, ne quid agere contra eum videretur.

vis, (4) adverſaria, & parata incredibilis quædam expectatio, quam tu (5) una re facillimè vinces, ſi hoc ſtatueris: quarum laudum gloriam adamaris, quibus artibus eæ laudes comparantur, in iis eſſe laborandum. Jn hanc ſententiam ſcriberem plura, niſi te tuâ ſponte ſatis incitatum eſſe conſiderem; & hoc quidquid attigi, non feci inflammandi tui causâ, ſed teſtificandi amoris mei, *vale.*

EPIST: II. *Ciceronis.*

Ex lib: 6. Famil: XXII.

Argum: *Victô in Theſſalia Pompejô, multi boni Cives ab armis diſceſſerunt, aliique Romam, ſpe obtinendæ veniæ à Cæſare, alii vicina in Oppida ſe receperunt. Cicero igitur Romæ exiſtens excuſat officium ſuum, quod literas aliquanto tempore non dederit ad Domitium in Jtalia commorantem, hâc potiſſimum ratione, quod conſolari alios non potuit per literas, cum ipſe ſolus conſolatione egeret. Denique hortatur eum vehementer, ut incolumitati ſuæ conſulat, amicorumque, quos belli caſus eripuit, deſiderium forti animo ferat. Jn extremo pollicetur ſe omnia facturum, quæ ſaluti illius ac dignitati conducere arbitratur.*

M.T.C.

(4) expectarunt reditum Curionis Romani & amici tanquam vindicem libertatis, & aliqui adverſi eidem futuri erant, ideo dicitur adverſariâ expectatio. (5) benefaciendo, ſive optimis, pro Patria geſtis.

M.T.C. Domitio S.D.

Non (1) ea me res terruit, quo minùs posteaquàm in Jtaliam venisti, literas ad te mitterem, quod tu ad me nullas miseras; sed quia, nec, quid tibi pollicerer, ipse egens rebus omnibus, nec quid svaderem, cum mihimet ipsi consilium deesset, nec quid consolationis afferrem in tantis malis, reperiebam. (2) Hæc quanquàm nihilo meliora sunt, nunc etiam atque etiam multo desperatiora, tamen (3) inanes meas esse literas, quàm nullas malui. Ego, si te intelligerem plus (4) conatum esse suscipere Reipublicæ causâ (5) muneris, quam quantum præstare potuisses: tamen quibuscunque rebus possem, ad eam conditionem te vivendi, quæ daretur, quæque esset, hortarer. Sed cum consilii tui benè, fortiterque suscepti eum tibi finem statueris, quem ipsa fortuna ter-

(1)dicit Cicero se non propterea ad Domitium non scripsisse, quod Domitius cum in Italiam venisset, ad eum nihil scripserit *sed &c* (2)Hec etiam tempora licet non sint meliora, imo pejora, *tamen &c.* (3)aliquid malui scribere, quam nihil(4)si scirem te secutum fuisse hoc bellum alio fine, quam eo, quem fortuna dedisset. tamen hortarer te ad id, ut fortunæ morem gereres. (5)Causa honoris, causa boni publici, quod ut Civis defendere debueras.

minum contentionum nostrarum esse voluisset; oro, obtestorque te pro vetere nostra conjunctione, ac necessitudine, proque summa mea in te benevolentia, & tua in me pari, te ut nobis, Parenti, Conjugi, tuisque omnibus, quibus es, fuistique semper carissimus, salvum conserves; incolumitati tuæ, tuorumque, qui ex te (6) pendent, consulas; quæ didicisti, quæque ab adolescentia pulcherrimè à Sapientissimis viris tradita, memoriâ & scientiâ comprehendisti, iis hoc tempore utare; quos conjunctos summâ benevolentiâ plurimisque officiis amisisti, eorum desiderium, si non æquô animô, at forti feras. Ego, quid (7) possim, nescio, vel potius me parum posse sentio; illud tamen tibi polliceor, me, quæcunque saluti ac dignitati tuæ conducere arbitrabor, tantô studiô esse facturum, quantô semper tu & studiô & officiô in meis rebus fuisti. Hanc meam voluntatem ad Matrem tuam optimam fæminam, tuique amantissimam, detuli. Si quid ad me scripseris, ita faciam, ut te velle intellexero. Sin autem minùs

(6) qui sine te non possunt esse incolumes. (7) quid possim, vel pro tua, vel pro Reipublicæ salute agere.

minùs ſcripſeris; ego tamen omnia, quæ tibi utilia eſſe arbitrabor, ſummô ſtudiô, diligenterque curabo. *vale.*

EPIST: III. *Ciceronis.*
Ex lib: 12. Famil: I.

Argum: *Cum interfectores Cæſaris ex Urbe profugiſſent, & Antonius pro libidine omnia in Urbe ageret; quemadmodum olim egerat Cæſar, Cicero cum magno dolore ea commemorat; & oſtendit omnem reliquam libertatis ſpem eſſe in ipſo Caſſio & Bruto; quos ita incendit, ut demonſtret eos fruſtra interfeciſſe Cæſarem, niſi Rempublicam etiam à dominio Antonii liberent; quem odio expo-nit, commemorans ejus iniquè - facta.*

M. T.C. C. Caſſio S.P.D.

Finem nullum (1) facio, mihi crede, Caſſi, de te, & de Bruto noſtro, & de tota Republica cogitandi, cujus omnis ſpes in Vobis eſt. Quam quidem jam habeo ipſe (2) meliorem, Republicâ à Dolabella meo præclariſſimè geſtâ. Manabat enim illud (3) malum urbanum, ut ego quidem & Urbi, & otio diffi-

(1) dicit Cicero ſe ſemper cogitare de laudibus Caſſii & Bruti, ac de vindicanda Republica. (2) oſtendit meliorem eſſe Rempublicam ex eo, quod Dolabella gener ſuus ſit Conſul cum Antonio. (3) Seditiones Civium ita ampliabantur, ut nec Urbis, nec quietis ullam ſpem haberem.

derem urbano. Sed ita (4) compressa est, ut videamur omne jam ad tempus, ab illo duntaxat * sordidissimo periculo tuti futuri. Reliqua magna sunt ac multa; sed posita omnia in vobis; quanquàm (5) primum quid explicemus, non videamus. Nam, ut adhuc quidem actum est, non (6) regnô, sed Rege liberati videamur. Jnterfecto enim Rege, Regios omnes nutus tuemur. Neque verò id solum, sed etiam, quæ ipse ille, si viveret, non faceret, ea nos (7) quasi cogitata ab illo probamus; Nec ejus rei quidem finem video. (8) Tabulæ finguntur, (9) immunitates dantur, pecuniæ maximæ describuntur, exules reducuntur, senatus consulta (10) falsa referuntur; ut tantummodo (11) odium illud hominis impuri, & servitutis dolor depulsus esse videatur, Respubli-

ca

(4) composita Urbs, & ad pacem redacta. * à cæde Cæsaris. (5) primum (intelligitur de malis, quæ reliqua sunt) non est explicandum, ratio statim subjungitur. Nam &c. (6) Imperia eadem esse dicit, quæ fuerunt sub Cæsare. (7) quasi primùm cogitata à Cæsare & necdum facta, ea nunc sub Antonio fieri videmus. (8) leges novæ. (9) à communibus oneribus (10) quod non est statutum in Senatu, refertur tanquã statutũ. (11) ut videatur id tantum factum esse, quod Cæsar oculis non obverſetur, cætera vero sint eadem mala.

ca jaceat in his perturbationibus, in quas eam ille conjecit. Hæc omnia vobis ſunt expedienda; nec (12) hoc cogitandum, ſatis jam habere Rempublicam à vobis. Habet illa quidem tantum, quantum nunquam mihi in mentem venit optare, ſed contenta non eſt, &, pro magnitudine & animi, & beneficii veſtri, à vobis magna deſiderat. (13) Adhuc ulta eſt ſuas injurias per vos, interitu Tyranni, nihil amplius. Ornamenta verò ſua quæ recuperavit? an quod ei mortuo paret, quem vivum ferre non poterat? cujus (14) æra refigere debebamus, ejus etiam (15) chirographa defendimus? (16) at enim ita decrevimus. Fecimus id quidem, temporibus cedentes, quæ valent in Republica plurimùm Sed immoderatè quidam & ingratè noſtra (17) facilitate abutuntur. Verum

(12) quaſi totum propter Remp. feceritis interficiendo Cæſarem (13) ſolummodo vindictam ſumpſit de oppreſſione ſua per vos, nihil boni ultrà. (14) tabulas legum publicarum à parietibus avellere (15) ſtatuta Cæſaris propria manu ſcripta (16) inducit objicientem, quod ſtatuta Cæſaris rata & habita ſunt à nobis, proindè ſervanda. quam objectionem diluit neceſſitate temporum (17) quod temporibus cedentes faciles fuerimus in acceptandis legibus iniquis, hâc facilitate noſtrâ alii non debent abuti.

hæc propediem, & multa alia coram. Interim sic tibi persvadeas, mihi cùm Reipublicæ, quam semper habui carissimam, tùm amoris nostri causa, maximæ curæ esse tuam dignitatem. Da operam, ut valeas.

EPIST: IV. *Bembi.*

Ex lib: 6.

Argum *Andreas Alciatus, Venetiis oriundus, Jurisconsultus optimus, apud Biturienses degens, invitabatur à Patavinis ad jus civile in Academia declarandum; quô venire Alciatus aliquomodo renuebat; hortatur itaque eum Bembus; tùm pro celebritate Urbis, tùm ratione solutionis certæ, & promissione plurium commodorum, tùm pro voluntate Matris ipsius, quæ optat eum propius adesse; denique proponit ei amorem honesti, quo incitari debet ad petitiones aliorum implendas.*

P. Bembus Andreæ Alciato Jureconsulto S.P.D.

Puto non necesse esse, me hominem nullâ (1) necessitate tibi conjunctum te hortari, ut magna cum tua dignitate Patavium accersitus, ad jus civile declarandum, venias. Vel enim Urbs hæc præcla

(1) nullâ familiaritate, aut non adeo magnâ notitiâ.

præclara, conventusque illuſtris cùm doctorum hominum, tùm doceri cupientium, qui te incredibiliter expetit; vel ipſa Civitas Veneta, cujus juſſu hac de re tui ad te ſcribunt; ſatis te ad iter poſſe hortari, atque impellere videntur. Præſertim cum tu te oſtenderis hoc ipſum (2) cupere: dederiſque ad tuos (3 interpretes literas, quibus ex literis 4 ſponſores pro te eſſent, ſi Reſpublica tibi, quod petebas, ſtipis nomine polliceretur; te venturum. Quod ſi propterea, qui cùm tu nummos aureos 5 ſolares petieris, illa tibi tantum aureos eſt pollicita, hortatore eges, qui te cunctantem & dubitatem incitet? primum 6 quantulum id eſt; propter quod ad petitionis tuæ ſummam non pervenitur? deinde ſpondeo tibi ipſe, in meque recipio, te, ſi veneris, brevi tempore non modò ea, quæ popoſciſti, ſed multò etiam plura, multòque ãpliora nullô negotiô conſecuturũ. Jtaque, vir clariſſime Alciate, pro eo,

(2) velle te oſtendiſti in Academia Patavinorum eſſe. (3) ſignificatorias literas. (4) qui ſponderent pro te, ſive qui certos nos redderent de adventu tuo. (5) aurei ſolares dici poſſunt à figura ſic dicti, quod in iis ſol exprimeretur, & erant nũmi melioris valoris quã alii. (9) parum eſt, de quo agitur, quodque tuum adventum retardare videtur.

quô tuam dignitatem maximè quidem
ſemper, ſed his etiam præcipuè diebus,
defendi atque adjuvi ſtudiô; conditio-
nem, quæ proponitur, te reſpuere mi-
nimè omnium velim. Quare non tan-
tum te hortor, ſed planè etiam at-
que etiam rogo, ut ad nos, quod tuô
commodô fiat, ſine mora te conferas.
Erit id & matri tuæ jucundiſſimum,
quæ, ut audio, te abeſſe tam longin-
quis in locis moleſtè fert; & tibi im-
primis honorificum; addo etiam mul-
tis de cauſis perutile. Quanquam qui-
dem cum Juris civilis ſcientiam ſis
complexus, ab (7) honeſto magis
duci moverique te, tui eſt officii, at-
que muneris. Hæc amor ſummus in
te meus ſcriptis excitatus & confirmatus
tuis, me, ut ad te ſcriberem, impulit. *vale.*

EPIST: V. *Bembi.*
Ex lib: 6.

Argum: *Bembus habuit ſibi nuntiatum per literas, quod Sadoletus in bonarum artium ſtudio optimè profecerit. Hortatur itaque eum, ut eandem viam diligenter inſiſtat, adductis rationibus, ab exemplo Majorum, & commoditate rerum ad*

per-

(7) honeſtate magis, quam cupiditate lucri duci debes,

pertractanda ſtudia neceſſariarum, tùm ab ætate ad id idonea, & ingenio.

Petrus Bembus Paulo Sadoleto S.P.D.

Tuas ad me humaniſſimas literas ſuperiore anno datas, & tunc eò libentius legi, quò mihi maximam ſpem attulerunt, fore te in bonarum artium ſtudiis brevi eum illum, quem volumus, qui jam tùm tam ampliter profeciſſes: quemadmodum tibi reſcripſi. Et nunc; dum (1) eſt, cui dem; te planè hortor, iſtam ipſam inſiſtas viam, pergaſque eô greſſu, quô cæpiſti, vel potiùs, quô jam magnam itineris partem confeciſti, atque illam quidem, quæ profectò (2) moroſior ſalebriſque impedita magis eſt. Nam ea,quæ reſtant; unà cum fructu & quidem uberrimo, jucunditatis tibi plurimum ſunt allatura. (3) Habes Domi, unde omnia tanquam de pleno fonte haurias; Patruum ſcilicet tuum hominem antiquis illis, quos tantopere laudamus, parem. Habes ætatem ad omnem induſtriam exercendam, laboreſque perferendos aptiſſimam, atque acco-

(1) cum ſit, per quem literas ad te tranſmittam. (2) quia in altioribus ſcientiis plures ſunt difficultates (3) incitat eum à majorum gloria.

accommodatiſſimam. Habes otium. Præſtas ingeniô; quô maximô præſtantiſſimôque uteris. Ut nihil ad id, quod ſummum eſt, aſſequendum tibi à Diis immortalibus non abundè atque largiter ſubminiſtratum fuiſſe videatur. Hæc, quia te amo, equidem plurimum, non propterea, quod tu monitore egeas, ſcribo. Valebis igitur, noſque diliges.

EPIST: VI. *Plinii.*

Ex lib 1.

Argum: *Minutius Fundanus vir prudens & Sapiens, urbanis tamen negotiis nimium erat deditus; hortatur ergo eum Plinius, ut par. ſibi rationem vivendi deligat, hoc eſt, ut ſeceſſum ab Urbe & Studium amplectatur, idque ex eo, quod in Urbe occupati ſunt homines rebus inanibus, ruri verò nihil audiant, quô offendantur; nihil loquantur, quod loqui pœniteat.*

Plinius Minutio Fundano ſuo S.

Mirum (1) eſt, quàm ſingulis diebus in Urbe ratio aut conſtet, aut conſtare videatur pluribus, cunctis non conſtet: Nam ſi quem interroges; hodie quid

(1) miror, quod aliqui videantur poſſe oſtendere rationem, quomodo, & in quibus negotiis dies ſingulos in Urbe tranſegerint, cum plurimi & fere omnes hujusmodi rationem reddere non poſſint.

quid egiſti? reſpondeat: (2) officio togæ virilis interfui; (3) ſponſalia aut nuptias frequentavi; ille me ad ſignandum teſtamentum, ille in advocationem, ille in conſilium rogavit. Hæc, quo die feceris, neceſſaria; eadem ſi quotidie te feciſſe reputes, inania videntur; multò magis cum ſeceſſeris, tunc enim ſubit recordatio: quot dies, quàm frigidis rebus abſumpſeris. Quod evenit mihi, poſtquã in (4) Laurentino meo aut lego aliquid, aut ſcribo, aut etiam corpori (5) vaco, cujus (6) fulturis animus ſuſtinetur; nihil audio, quod audiſſe, nihil dico, quod dixiſſe pæniteat. Nemo apud me quemquam ſiniſtris ſermonibus carpit; Neminem ipſe reprehendo, niſi unum me, cum parum commodè ſcribo; nullâ ſpe, nullô timore ſollicitor, nullis rumoribus inquietor, mecum tantum & cum libellis loquor. O rectam ſinceramque vitam! ô dulce otium

(2) Officium præſtiti, ſeu aſſiſtebam, cum amicus togam virilem ſumeret ſumebatur autem Toga virilis 17. ætatis anno, quô puerilis ætas finiebatur & virilis incipiebat cum cerimoniis. (3) pacta ante-nuptialia conſcripſi (4) Rus appellatum Laurens, ubi degebat Plinius. (5) curo corpus vel cibis, vel medicamentis, vel deambulatione &c. (6) curatione corporis.

otium honestumque, ac penè omni negotiô pulchrius! ô mare, ô littus verum secretumque (7) *Musæum*, quam multa invenitis, quam multa dictatis! Proinde tu quoque strepitum istum, inanemque discursum, & multùm ineptos labores, ut primùm fuerit occasio, relinque; teque studiis vel otio trade. Satius est enim, ut Attilius noster eruditissimè, simul & facetissimè dixit, (8) otiosum esse, quàm nihil agere. *vale.*

EPIST: VII. *Sabellici:*

Argum: *Sabellicus hortatur Marium Filium suum ad studia literarum, & ut ad se sæpius scribat, monet.*

Mario suo S.

Iam quis sim, & quem te esse oporteat, non ignoras, ut arbitror. Ego quod possum tibi præsto, nec, quod ad tuorum studiorum rationem attinet, sum tibi defuturus, modo tu ipse tibi non desis. Quid mihi cùm unà fuimus pollicitus es, cave, ne obliviscaris. Sanctissimum jusjurandum serva, nisi Deum vis iratum habere & Patrem. Attulit tibi Carsius viginti argenteos num-

mos

(7) locus musarum, doctrinæ, aut Bibliotheca (8) melius est ab officiis quiescere, vel esse in otio literarum, quam inanibus rebus implicari, cum juxta Senecam: qui futilia facit, nihil agit.

mos, si qua re indiges, quæ ad vestitum attineat, fac ut sciam. Satis humanè ne piè dicam feceris, si sæpius ad me scripseris, ut ex tuis literis intelligam, quid demum de tuo profectu me sperare oporteat. *vale.*

Exemplum.

Vir authoritatis non postremæ hortatur amicum ad quodpiam factum insigne.

Cogita, quanta factum istud laus & gratulatio sit consecutura. Quid multis? Sic te numeris omnibus virtutum absolutum præsta, ut inimici vituperare te non possint, nisi simul laudent. Jllud noctes diesque tecum cogita, quô te quoque possis tollere humo, victorque virûm volitare per ora. Quis non exosculerur istam eximiam indolem? Quare te etiam atque etiam hortor, ut quod tibi majores prætulerunt, tu posteris præferas. Tu vel unus efficere potes, ne prorsus verum sit, quod vulgo jactatur, nobiles nostros nihil habere in domibus suis pulchrum, nisi Jmagines. Hortantur te unô ore amici omnes, ut magnô sis animô, utque omnia summa speres. Hoc utilissimum judicato, quod est cum honestate conjunctum.

EPISTOLÆ INVECTIVÆ.

EPIST: I. *Ciceronis* Ex lib: 1. Famil: X.

Argum: *Lentulus Valerius Jurisconsulti nomine appellari gaudebat, quamvis in hac arte non esset adeo exercitatus. Itaque in hac Epistola eum irridet Cicero, licet id faciat jocando; deinde hortatur, ut Romam redeat, ubi multi alii sunt Jurisconsulti, quam in Cilicia literas amicorum expectans malit esse, ubi solus sapere videatur; Denique carpit eum arrogantiæ.*

Epistola hæc videtur non habere principium, cum particula, Cur, *non conveniat exordio Orationis; Sed hæc refertur ad finem tituli epistolæ, scilicet ad Nomen Jurisconsulti, quô appellari gaudebat. Explicandum est itaque sic:* Nescio cur in hoc tibi non morem geram, ut te Jurisconsultũ appellẽ, cùm ita gaudeas appellari?

M.T.C. L.Valerio, Jurisconsulto S.D.

Cur enim tibi hoc non gratificer, nescio; præsertim cum his temporibus (1) audaciâ pro sapientia liceat uti. (2) Lentulo nostro egi per literas

(1) quod se jactarit Valerius sapientem Jurisconsultum esse, cum perfectus non fuerit. (2) Valerius fuerat in Cilicia apud Lentulum, ab eoque multis beneficiis est cumulatus, atque pro his Cicero gratias egit illi nomine Valerii tanquam amici sui.

tuo nomine gratias diligenter. Sed tu- velim desinas jam nostris (3)literis uti, & nos aliquando revisas, & ibi malis esse, ubi (4) aliquo numero sis, quam istic, ubi solus sapere videare. (5) Quanquam qui istinc veniunt, partim te superbum esse dicunt, quod nihil respondeas, partim contumeliosum, quod malè respondeas, Sed jam cupio tecum coram jocari. Quare fac, ut quàm primum venias, neque in Appuliam tuam accedas, ut possimus salvum venisse gaudere. Nam illò si veneris, tanquam (6) Ulysses, cognosces tuorum neminem. *vale.*

EPIST: II. *Ciceronis.*
Ex lib: 5. Famil: V.

Argum: *Antonius fuerat Collega in Consulatu Ciceronis, tunc quando Catilina conjuraverat; Antonium Cicero licet amicum suum esse sciebat, veritus tamen est, ne is in opprimenda conjuratione Catilinæ à se dissentiret, effecit itaque, ut Antonius mitteretur cum exercitu contra Catilinam*

quod

(3) nostras literas desiderare. (4) aliquo modo poteris numerari inter Legisperitos (5) quanquam pluribus non videaris sapere, cum sis superbus &c. (6) Ulysses post multos & longos maris errores cum domum rediisset, nullum suorum cognovit, nec ab ullo est cognitus, itaque à Telogono filio suo per imprudentiam est interemptus.

quod factum esse cum intelligeret Antonius, aliquantum disjunxit se ab amicitia Ciceronis tanquam sibi diffidentis; conquestusque est multa in se & dicta & facta à Cicerone fuisse indigna gravi viro & amicô. Hâc igitur epistolâ increpat Cicero Antonium tanquam ingratum suorum beneficiorum; quorum testes dicit esse illum ipsum, Senatum & populum Romanum; ostenditque longè aliter se rem habere, quàm senserat. Denique Pomponium familiarem suum illi magnopere commendat.

M.T.C. Cajo Antonio Jmperatori S.D.

Etsi statueram nullas ad te literas mittere, nisi commendaticias, non quò eas intelligerem, satis apud te (1) valere, sed ne(2) iis, qui me rogarent, aliquid de nostra conjunctione imminutum esse ostenderem; tamen cum T. Pomponius, homo omnium meorum in te studiorum, & officiorum maximè conscius, tui cupidus, nostri amantissimus, ad te proficisceretur, aliquid mihi scribendum putavi; præsertim cum (3) aliter ipsi Pomponio satis-facere non pos-

(1) pondus apud te habere, & prodesse commendatio. (2) ne si rogantes à me commendari, non commendarem, ostenderem illis me esse aliquomodo alienatum à te. (3) aliter roganti non potui satisfacere, nisi ut ad te scriberem.

possem. Ego si abs te summa (4) beneficia desiderem, mirum nemini videri debet, omnia enim à me in te profecta sunt, quæ ad tuum commodum, quæ ad honorem, quæ ad dignitatem pertinent. Pro iis rebus nullam mihi abs te relatam esse gratiã, tu es optimus testis. (5) Contra etiam esse aliquid abs te profectũ, ex multis audivi; nam (6) comperisse me, non audeo dicere, ne forte id ipsum verbum ponam, quod abs te ajunt falsô in me solere conferri. Sed ea, quæ ad me delata sunt, malo te ex Pomponio, cui nôn minùs molesta fuerunt, quàm ex meis literis, cognoscere. Meus in te animus, quam singulari officio fuerit, & senatus & populus Romanus testis est. Tu quam gratus erga me fueris, ipse existimare potes; quantum mihi debeas, ceteri existimant. Ego (7) quæ tuâ causâ antea feci voluntate sum adductus, posteàque constan-

tia

(4) gratum animum pro meis in te collatis beneficiis, quem animum tu non præstas. (5) imo etiam scio ingratum te mihi exhibuisse. (6) ac si diceretur: Comperisse te ajunt â me aliquid contra te factum esse; quod falsum est. (7) quod te cum exercitu miserim contra Catilinam, feci hoc bonô in te animô, & perseverante amicitiâ.

tiâ. Sed (8) reliqua, mihi crede, multo majus meum ſtudium, majoremque gravitatem deſiderant. Quæ ego ſi non (9) profundere ac perdere videbor, omnibus meis viribus ſuſtinebo; ſin autem ingrata eſſe ſentiam, non committam, ut tibi ipſe (10) inſanire videar. Ea quæ ſint, & cujuſmodi; poteris ex Pomponio cognoſcere. Atque ipſum Pomponium tibi ita commendo, ut quamquam ipſius (11) causâ, confido, te facturum eſſe omnia, tamen abs te hoc petam, ut ſi quid in te reſidet amoris erga me, id omne in Pomponii negotio oſtendas. Hoc mihi nihil gratius facere potes. *vale.*

EPIST: III. *Ciceronis.*
Ex lib: 7. Famil: XXVII.

Argum: *Gallus cum eſſet in exilio; quod Pompejanis partibus faviſſet, iniquè Ciceronem Literis accuſaverat; viciſſim igitur eum Cicero repungit; cujus acerbitatis cauſam in eundem tranſfert.*

M.

(8) quæ tibi ſunt a me facienda beneficia, majori ſtudio faciam. (9) ſi ea beneficia non inaniter fecero, ſeu ſi pro iis gratum te experiar. (10) quia inſanus videtur qui in invitum & ingratum confert beneficia. (11) quod ſit bonus Vir.

M.T.C. Fabio Gallo S.D.

Miror, cur me accuſes, cum tibi id facere non (1) liceat; quod ſi liceret, tamen non debebas. Ego enim te in Conſulatu (2) obſervaram. Et ais fore, ut te Cæſar reſtituat. Multa tu quidem dicis; ſed tibi nemo credit. Tribunatum plebis dicis te meâ(3)causâ petiſſe. Utinam ſemper eſſes Tribunus! interceſſorem (4) non quæreres. Negas, me audere, quod ſentio, dicere.(5) Quaſi tibi, cùm impudenter me rogares, parùm fortiter reſponderim. Hæc tibi ſcripſi, ut (6) iſto in genere, in quo aliquid poſſe vis, te nihil eſſe cognoſceres. Quod ſi humaniter mecum queſtus eſſes, libenter tibi me & facile purgaſsem. Non enim ingrata mihi ſunt, quæ feciſti, ſed quæ ſcripſiſti, moleſta. Me autem, propter quem ceteri liberi

(1) non licuit Gallo accuſare Ciceronem, quia & Quæſtor prius fuerat Ciceronis Conſ: & poſtea exul factus (2) bonô animô te proſequutus ſum (3) per me, ut deprecarer pro te. (4) deprecatio mea pro te non eſſet tibi neceſſaria, quia Tribuni pro aliis deprecari ſolent. (5) quaſi non reſponderim tibi forti animo, cum tu ſine verecundia me rogares. (6) in modo pungendi ſpecie urbanitatis, vel jocandi cum morſu.

ſunt, tibi (7) liberum non viſum, demiror. Nam ſi falſa fuerunt, (8) quæ tu ad me, ut ais, detuliſti; quid ego tibi debeo? ſi vera; tu es optimus teſtis, quid mihi populus Romanus debeat. *vale.*

EPIST: IV. *Plinii.*

Ex lib: 9.

Argum: *Plinius ſcribit Calviſio ſe ſemper vacaſſe literarum ſtudio, etiam Romæ, in Urbe negotioſa, ubi plurimæ diſtrahendi ſe ſe occaſiones occurrunt. Tùm facta ſibi quaſi quæſtione, invehitur in ludos Circenſes, tanquàm rem inanem & nullius voluptatis.*

Plinius Calviſio ſuo S.

Omne hoc tempus inter pugillares ac libellos jucundiſſimâ quiete tranſivi, Quemadmodum, inquis, in Urbe potuiſti. (1) Circenſes erant, quo genere ſpectaculi ne leviſſimè quidem teneor.

(7) ego liberavi Cives â conjuratione Catilinæ, tu me dicis non liberum eſſe, cum ſcribas, me non audere, quod ſentio, dicere. (8) liberatos per me Cives â Conjuratione ſi falsò mihi antea adſcripſiſti, nihil debeo tibi, ſi verè. non ignoras, quantum mihi obligati ſunt Cives Romani.

(1) Circenſes ludi dicti ſic â circuitu, quod metas circuibant. Inſtituti ſunt in honorem Matris Deûm, Megaleſia etiam appellati.

or. Nihil novum, nihil varium, nihil; quod non ſemel ſpectaſſe ſufficiat. Quo magis miror, tot millia virorum tam pueriliter identidem cupere. Currentes equos, inſiſtentes curribus homines videre. Si tamen aut velocitate equorum, aut hominum arte traherentur, eſſet ratio non nulla; Nunc favent (2) panno; pannum amant; & ſi in ipſo curſu, medioque certamine, hic color illuc, ille huc transferatur, ſtudium favorque (3) tranſibit, & repentè agitatores illos, quos (4) procul noſcitant, quorum clamitant nomina, relinquent. Tanta gratia, tanta authoritas in una viliſſima tunica! (5) Mitto apud vulgus, quod vilius tunica eſt, ſed apud quoſdam graves homines, quos ego cum recordor in re inani, frigida, 6 aſſidua, tam inſatiabiliter deſidere, capio aliquam voluptatem, quod (8) hâc voluptate capiar. Ac per hos dies libentiſſimè otium meum in literis colloco, quos alii otioſiſſimis occupationibus perdunt. *vale.*

(2) in his ludis factiones, ſeu partes diſtingvebantur diverſo colore veſtium, quibus aurigæ induebantur. jam ſi quæ factio in curſu excelluit, ſpectatores. ſi fuerunt ejus factionis, ejdem factioni applaudebant. (3) à victa ad victricem partem ſpectatores animum & plauſum tranſferebant. (4) ex Colore indumentorum.

EPIST: V. Senecæ No CXII.

Argum: *Seneca refert Lucilio, quendam amicum ipſius, quem in curam ſuam ſuſceperat, non poſſe reduci ad honeſtam vitæ rationem. Tum id referendo videtur invehi in illum amicum, tanquam hominem veterem annorum & vitiorum.*

Seneca Lucilio. S. D.

Cupio, mehercule, amicum tuum formari, ut deſideras, & (1) inſtitui, ſed valde (2) durus capitur, imo potiùs, quod eſt moleſtiùs, valde (3) mollis capitur, & conſvetudine mala ac diutina fractus. Volo tibi ex (4) noſtro artificio exemplum referre. Non quælibet inſitionem vitis patitur; ſi vetus & exeſa eſt, ſi infirma graciliſque; aut non recipiet ſurculum, aut non alet, nec applicabit ſibi, nec in qualitatem ejus naturamque tranſibit. Jtaque ſolemus ſupra terram præcidere; ut, ſi (5) reſponderit, tentari poſſit ſecunda fortuna, & (6) iterum repetita infra ter-

(5) minus eſt invehi in plebem, quæ hos ludos frequentat, quia viles homines inanibus rebus occupari utcunque convenit. (6) quia per multos dies hi ludi fiebant. (7) tempus abſumere (8) quod alij rebus inanibus delectentur.

(1) & ut ego propoſui, volui: (2) quod ſit nimiam pertinax (3) quod ſit propenſus in malum, & qualibet occaſione vitietur. (4) quia etiam ipſe Seneca cultor horti ac vinearum fuerat eximius (5) ſi iterum ramulos ediderit. (6) ut ſecundò ſurculus eidem viti inſeratur

ram inſeratur. Hic de quo ſcribis & & mandas, non habet vires. indulſit vitiis: ſimul & emarcuit, & induruit. Non poteſt recipere rationem, non poteſt (7) nutrire. At cupit ipſe. Noli credere. (8) non dico illum mentiri tibi: putat ſe cupere. (9) ſtomachum illi fecit luxuria; cito tamen cum illa (10) redibit in gratiam. Sed dicit ſe offendi vitâ. Non negaverim. quis enim non offenditur? homines vitam ſuam & amant ſimul & oderunt. Tunc itaque de illo feremus ſententiam, cum fidem nobis fecerit, inviſam jam eſſe ſibi luxuriam; nunc (11) illis malè convenit. *vale.*

EPISTOLÆ LAMENTATORIÆ.

EPIST: I. *Ciceronis* Ex lib: 2. Famil: II.

Argum: *Curioni defert Cicero Patrem ejus Romæ vitâ functum eſſe, dolereque ſe oſtendit quod eum*

(7) non poteſt bona conſilia ſervare. (8) prætermiſſionis figura: non dico, quod mentiatur. (9) Faſtidium; id eſt, faſtidit luxuriam, ſeu profuſionem bonorum, aut vitam mollem, delicatam. (10) brevi amabit eandem, revertetur ad eandem. (11) quæ dicta ſunt, ſcilicet. quod cupiat reduci ad rationem, quod indignetur ſibi ipſi, quod ſuâ vitâ offendatur, his dictis vita ejus non convenit, cùm malè vivat.

eum amiserit, tanquàm testem sui amoris erga hunc Curionem, quem pollicetur filii loco habere.

M. T. C. Curioni S.D.

Gravi teste privatus amoris summi erga te mei; Patre tuô, clarissimô virô; qui cùm suis laudibus, tùm verò te filiô (1) superasset omnium fortunam, si ei contigisset, ut te ante videret quàm à vita discederet. Sed spero nostram amicitiam (2) non egere testibus. Tibi (3) patrimonium Dii fortunent. Me certè habebis, cui & carus æquè sis & jucundus, ac fuisti Patri. *vale.*

EPIST: II. *Ciceronis.*
Ex lib: 4. Famil: I.

Argum: *Cicero rediens ex Cilicia Romam, ubi Triumphum speravit decerni sibi pro benegesta Provincia, offendit plurimas dissensiones Cæsaris cum Pompejanis, quas cùm non posset componere, contulit se in prædiola sua, ut esset remotior à populari tumultu. Inde tamen non rarò ad Urbem accessit. Præsenti itaque, quodam tempore, cum non posset colloqui Sulpicius (quod malâ valetudine laborasset) id molestè tulit, detulitquè per*

Tre-

(1) esset felicissimus omnium, si te filium optimæ expectationis, antequàm moreretur, videret Romæ præsentem. (2) quia cuique perspecta erit (3) res à patre relictas,

Trebatium ad Ciceronem, cupere ſe eum & videre & alloqui de eo, quid utrique eſſet agendum. Reſpondet itaque Cicero Sulpicio quod ſi potuiſſent colloqui ſalvâ & integrâ Republicâ, profuiſſent aliquid Reipublicæ, quoniam eum cognovit ſemper cupidum pacis eſſe, ſicut & ipſe ſemper fuit; nunc autem ſerò eſſe conventuros de Republica; hortatur tamen, ut conveniant, & ſi non Reipublicæ, ſaltem rebus ſuis conſulant; pollicetur nihilominùs ſe venturum ad Urbem, ſi potiſſimum Servius Sulpicius cum eo colloquendum exiſtimaverit.

M.T.C. Ser: Sulpicio S. D.

Cajus Trebatius familiaris meus ad me ſcripſit, te ex ſe quæſiſſe, quibus in locis eſſem, moleſtèque te ferre, quod me propter valetudinem, cum ad Urbem acceſſiſſem, non vidiſſes; & hoc tempore velle te mecum, ſi propius acceſſiſſem, de (1) officio utriuſque noſtrûm communicare. Utinam, Servi, ſalvis rebus (ſic enim eſt dicendum) colloqui potuiſſemus inter nos! profectò aliquid opis occidenti Reipublicæ tuliſſemus. Cognoram enim jam abſens, te hæc mala multò ante prævidentem, defenſorem pacis & in Conſulatu tuo, & poſt Conſulatum fuiſſe. Ego autem cum

(1) de eo, quid utrumque noſtrûm facere oporteat.

cum conſilium tuum probarem, & (2) idem ipſe ſentirem, nihil proficebam. Sero enim (3) veneram: (4) ſolus eram; (5) rudis, etſi (6) videbar, in cauſa; incideram in hominum pugnandi cupidorum inſanias. nunc quoniam nihil jam videbimur opitulari poſſe Reipublicæ, ſi quid eſt, in quo nobismetipſis conſulere poſſimus, non ut aliquid ex priſtino ſtatu noſtro retineamus, ſed ut quam honeſtiſſimè lugeamus. Nemo eſt omnium, quicum potius mihi, quam tecum, communicandum putem. Nec enim clariſſimorum virorum, quorum ſimiles eſſe debemus, exempla; neque doctiſſimorum, quos ſemper coluiſti, præcepta te fugiunt. Atque ipſe antea ad te ſcripſiſſem, te fruſtra in Senatum, ſive potius in (7) conventum Senatorum eſſe venturum, ni veritus eſſem, ne (8) ejus animum offenderem, qui à me, ut te imitarer, petebat. Cui quidem ego,

(2) cum æquè pacis Auctor fuerim, nihil efficere poteram (3) ex Cilicia; cum jam erant inflammati animi ad bellum. (4) quia alii erant cupidiores belli. (5) inſcius eorum, quæ agebantur *Romæ*. (6) ſubintelligitur, opitulari poſſe. (7) conventum Senatorum dicit, quia non erat plenus Senatus. (8) id eſt Cæſaris, qui Ciceronem in ſuas partes traxit.

go, me cum rogaret, ut adeſſem in Senatu, eadem omnia, quæ à te de pace, & de (9) Hiſpanis dicta ſunt, oſtendi me eſſe dicturum. Res vides quomodo ſe habeat. Orbem terrarum, Imperiis diſtributis, ardere bellô; Urbem ſine legibus, ſine judiciis, ſine jure, ſine fide, relictam direptioni & incendiis. Jtaque mihi venire in mentem nihil poteſt, non modò quid ſperem, ſed vix jam quid audeam optare. Sin autem tibi homini prudentiſſimo, videtur utile eſſe, nos colloqui; quanquam longius etiam cogitabam ab Urbe diſcedere, cujus jam etiam nomen invitus audio; tamen propius accedam. Trebatioque mandavi, ut, ſi quid tu eum velles ad me mittere, ne recuſaret; idque ut facias, velim: aut, ſi quem tuorum fidelium voles, ad me mittas: (10) ne aut tibi exire ex Urbe neceſſe ſit, aut mihi accedere.

Ego

(9) Hiſpaniacum Africa ſimul fuit decreta Pompejo, qui illas Provincias per legatos ſuos adminiſtraverat. Cæſar itaque cum meditaretur bellum in Hiſpaniam contra Legatos, quod jam Pompejum ipſum viciſſet, id non adeo Cicero ſvaſit Cæſari. (10) commendat fidelem fore debere emiſſarium, ex cauſa, ne ſi prodiderit ſecreta ſibi commiſſa aut Sulpicius in exilium eat, aut Cicero invitus ad Urbem accedat, ſi in judicium vocetur.

Ego (11) tantum tibi tribuo, quantum mihi fortaſſe arrogo: ut exploratum habeam, quidquid communi ſententia ſtatuerimus, id omnes homines probaturos. *vale.*

EPIST: III. *Ciceronis.*
Ex lib: 5. Famil. I.

Argum: *Cicero oppugnatus fuerat in Senatu à Metello Nepote, quod Cives Romanos in Conjuratione deprehenſos quaſi indictâ causâ necari feciſſet, quapropter Cicero hunc Metellum adeo perſequebatur, tanquam de capite & fortunis ejus ageretur. Metellus igitur Celer, Nepotis frater, in Gallia Proculſul, queritur fratrem ſuum à Cicerone oppugnatum.*

Quin. Metellus Celer Procos. M.T. Ciceroni S.D.

Si vales, benè eſt. Exiſtimaram pro mutuo inter nos animo & pro (1) reconciliata gratia, nec (2) abſentem ludibrio læſum iri, nec Metellum fratrem ob (3) dictum, capite ac fortunis per te oppugnatum iri, (4) quem ſi parum pu-

(11) ita de Sulpicio bene ſentit, quemadmodum de ſeipſo, tanquam duo eſſent, quos ceteri ſequantur. (1) pro veteri, nam alienati ab invicem, denuo redierant in gratiam. (2) nec abſentem me affligere. (3) quod aliquid contra te dixiſſet. (4) Fratrem meum ſi verecundia, quâ exceſſit contra te, non defendebat, debuit defendere reſpectus familiæ noſtræ.

dor ipsius defendebat, debebat vel familiæ nostræ dignitas, vel meum studium erga vos, Remque-publicam, satis sublevare. Nunc video illum circumventum, me desertum, à (5) quibus minimè conveniebat. Itaque in luctu & & squalore sum, qui Provinciæ, qui exercitui præsum, qui bellum gero; quæ quoniam nec ratione, nec (6) majorum nostrorum clementiâ administrastis, non erit mirandum, (7) si quos pænitebit. Te tam (8) mobili in me meosque esse animo non sperabam; Me interim nec domesticus dolor, nec cujuspiam injuria à Republica abducet. *vale*.

EPIST. IV. *Ciceronis*.

Ex lib: 9. Famil: XI.

Argum: *D labella voluit à Cicerone certior fieri de morte Tulliæ ejus, & uxoris priùs suæ, quia mortua est post divortium. Respondet igitur Cicero, malle à Dolabella desiderari literas de suo interitu, quam de filiæ suæ; deinde gratum habet, quod adversarios ejus persequatur.*

Cice-

(5) ab amicis, qualis etiam fuit Cicero Metellis. (6) Majores nostri etiam graviter offensi non tamen illico sibi adversantes damnari capite postularunt. (7) Comminatur Ciceroni, quasi aliquando vindicaturus st ipsum. (8) arguit Ciceronem levitatis & inconidantiæ.

Cicero Dolabellæ S.D.

Vel meô ipſius interitu mallem literas meas deſiderares, quam (1) eô caſu, quô ſum graviſſimè afflictus; ferrem certè moderatiùs, ſi te haberem. Nam & oratio tua prudens, & amor erga me ſingularis, multum levaret. Sed cum brevi tempore, ut opinio noſtra eſt; te ſum viſurus, ita me affectum (2) offendes, ut multum à te poſſim juvari: non (3) quò ita ſim fractus, ut aut hominem me eſſe oblitus ſim, aut fortunæ ſuccumbendum putem; (3) ſed tamen hilaritas illa noſtra & ſvavitas, quæ te præter ceteros delectabat, erepta mihi omnis eſt. (5) Firmitatem tamen & conſtantiam, ſi modò fuit aliquando in nobis, eandem cognoſces, quam reliquiſti. (6) prælia te meâ causâ ſuſtinere, non tam (7) id laboro, ut ſi qui

mihi

(1) quàm hac de ratione, quod filia mea mortua ſit (2) ita me invenies aut deprehendes, ut quaſi nihil imminutus ſit dolor meus, quem ſentio (3) non propterea quaſi hic dolor reddiderit me expertem rationis (4) ſed tamen ex eo, quod omnis jucunditas videatur mihi eſſe erepta ſimul cum Tullia. (5) Conſtantiam tamen in ferendo tam gravi caſu cognoſces meam. (6) contentiones cum his, qui mihi obtrectant. (7) Non tam id curo, ut obtrectatores confutentur, quam id, ut cognoſcant me â te mari.

mihi obtrectent, à te refutentur, quàm intelligi cupio, quod certe intelligitur, me à te amari; quod ut facias, te etiam atque etiam rogo. Jgnoscaſque brevitati literarum mearum, nam & celeriter unà futuros nos arbitror, & nondum ſatis (8) confirmatus ſum ad ſcribendum. *vale.*

EPIST: V. *Plinii*
Ex lib: 4.

Argum: *Helvidius reliquerat duas filias, & unicum filium. Ex filiabus utraque poſt partum brevi deceſſit; ſcribit itaque Plinius Velio ſe maximè dolere, quod & illæ filiæ Helvidii deceſſerint in adoleſcentia, & quod proles orbata ſit parentibus, & quod unicus tantum familiæ Heluidiorum hæres remaneat, de quo adhuc magnopere timet, ne caſus aliquis eidem contingat pro fragilitate vitæ humanæ.*

Plinius Velio Cereali ſuo S.

O triſtem & acerbum caſum Helvidiarum ſororum! utraque à partu utraque (1) filiam enixa deceſſit. Afficior dolore, nec tamen (2) ſupra modum

dum

(8) minus diſpoſitus ob dolorem.

(1) quod filiæ natæ ſint, non poſtremam habet rationem dolendi, quia familia & nomen per has non amplabitur. (2) non tamen, quam neceſſe foret dolere, ita doleo, licet vehementer.

dum doleo, ita mihi luctuoſum videtur, quod puellas honeſtiſſimas in flore primo fæcunditas abſtulit. Angor infantium ſorte, quæ ſunt parentibus ſtatim, & dum naſcuntur, orbatæ. Angor optimorum maritorum, angor etiam (3) meo nomine. Nam patrem illarum defunctum quoque, perſeverantiſſimè diligo, ut (4) actione mea, librisque teſtatum eſt. Cui nunc unus ex tribus ſupereſt, domumque pluribus adminiculis paulò ante fundatam (5) deſolatus fulcit, ac ſuſtinet. Magnô tamē fomentô dolor meus acquieſcet, ſi hunc ſaltē fortē & incolumē, paremque illi patri, illi avo, fortuna ſervaverit. Cujus ego pro ſalute, pro moribus, hoc ſum magis anxius, quod unicus factus eſt. Noſti in amore (6) mollitiam animi mei, noſti metus. Quò minus te mirari oportebit, quod plurimùm timeam, de quo plurimùm ſpero. *vale.*

EPI-

(3) cauſa mei, quod ejus nominis amantiſſimus ſim. (4) Helvidium iniquè perſecutus fuerat Quadratus vir pariter Nobilis, contra eum itaque pro Helvidio & dixit & ſcripſit Plinius, ita, ut Quadratum efficeret cauſæ reum, id igitur dicitur: actio. (5) ſolus & unicus familiam opibus & honoribus non pridem auctam. (6) vehementiam amoris pro cujus ratione maxime timeo.

EPIST: VI. *Plinii.* Ex lib: 8.

Argum: *Julium Avitum ædilitatis candidatum, jam Tribunatu militum & Quæsturâ functum decessisse, impatienter dolet; Nam Plinium tanquam Magistrum in omnibus secutus, ut aliquid disceret. Patrem suum jam ætate gravem, Uxorem, filiolam unicam mortuus reliquit. Jmpar igitur tanto dolori, Marcellino rem totam exponit hâc epistolâ tristissimâ.*

Plinius Marcellino suo S.

Omnia mihi studia, omnes curas, omnia (1) avocamenta exemit, excussit, eripuit dolor, quem ex morte Julii Aviti gravissimum cæpi. (2 Latum-clavum in domo mea induerat; suffragiô meô adjutus in petendis honoribus fuerat: ad hoc ita me diligebat, ita verebatur, ut me formatore morum, me quasi magistro uteretur. Rarum hoc adolescentibus nostris. Nam quotusquisque, vel ætati alterius, vel authoritati, ut minor, cedit? Statim sapiunt, statim sciunt omnia, neminem verentur, imitantur neminem, atque ipsi sibi exempla sunt

(1) Lusus, confabulationes, quibus distrahuntur homines.
(2) vestem Senatoriam, quam post virilem ætatem filii Senatorum induebant.

ſunt. Sed non Avitus, cujus hæc præcipua prudentia, quod alios prudentiores arbitrabatur; hæc præcipua eruditio, quod diſcere volebat. Semper ille aut de ſtudiis aliquid, aut de officiis vitæ conſulebat; ſemper ita recedebat, ut melior factus, & erat factus, vel eo, quod audierat, vel quod omnino quæſierat. Quod ille obſequium Serviano (3)exactiſſimo præſtitit? quem (4) Legatum Tribunus ita & intellexit, & excepit, ut ex Germania in Pannoniam tranſeuntem, non ut Commilito, ſed ut comes affectatorque ſequeretur. Quâ induſtriâ, quâ modeſtiâ Quæſtor Conſulibus ſuis, & plures habuit, non minus jucundus ac gratus, quam uſui fuit? quô (5)diſcurſu,quâ vigilantia hanc ipſam Ædilitatem, cui præreptus eſt, petiit? Quod vel maximè dolorem meum exulcerat: obverſantur oculis caſſi labores, & infructuoſæ preces, & honor, quem meruit. 6 Tantùm non redit animo ille Latus-clavus in penatibus me-

is

(3) omni virtute abſolutiſſimo. (4) Servianum ſcilicet, Tribunus Junius, & intellexit virum optimum, & hoſpitio honeſtavit. (5) quô labore. in trahendis pro ſua parte ſuffragiis aliorum. (6) non tantum redit &c.

is ſumptus, (7) redeunt illa prima, illa po trema ſuffragia mea, illi ſermones, illæ conſultationes. Afficior adoleſcentiâ ipſius, afficior (8) neceſſitudinum caſu. Erat illi grandis natu Parens, erat uxor, quam ante annum virginem acceperat; erat filia, quam paulo ante ſuſtulerat. Tot ſpes, tot gaudia dies unus in diverſa convertit. Modò deſignatus Ædilis, recens maritus, recens pater, intactum honorem, orbam matrem, viduam uxorem, filiam pupillam ignaram avi, ignaramque patris reliquit. Accedit lachrymis meis, quod abſens, & impendentis mali neſcius, pariter ægrum, pariter deceſſiſſe cognovi, ne graviſſimo dolori(9)tempore conſveſcerem. In tantis tormentis eram, ut cùm ſcriberem hæc ; ſcriberem ſola. Neque enim nunc aliud aut cogitare, aut ſcribere poſſum. *vale.*

L *Exem-*

(7) ſed etiam redeunt &c. (8) amicorum, & affinitate, aut ſangvine junctorum. (9) dicit inde etiam vehementer ſe dolere, quod iiſdem literis nunciatus ei fuerit & morbus, & obitus Aviti, quæ eum ſimul obruerunt, nam ſi prius relatum ſibi habuiſſet de morbo, paulatim aſſveſceret dolori, quem ex morte eſſet habiturus.

Exemplum.

Amicus apud amicum conqueritur, quod illi nihil rerum omnium ex sententia succedat, imo quod malis pejora superveniant.

Non possum tibi, quales uterque volumus, Epistolas mittere, cùm mihi nihil rerum omnium ex sententia procedat. Sed quid ego, mi Laurenti, te meis querelis exanimo? nisi quod juvat apud familiarissimum amicum graves animi mei curas deponere. Credo omnes, & superos, & inferos in meam perniciem conjurasse; ita ubi hoc malum vix effugi, succedit aliud multò acerbius. In morbum jam iterum, atque iterum incidi, decidi, recidi. Multo vix sumptu recreatus, en Sogdianus quidam pessimis moribus, pestis omnium, quas nunquam irati Dii mortalibus immisêre, longè teterrima, se mihi erudiendũ tradidit. Quid ibi miseriarum non vidi? quantum angustiæ? quantum luctûs summis meis laboribus mihi conscivi? Jd monstrum jam biennium me exercet. Fugio, quando vinci non potest. Jam Deorum aliquem mihi propitium factum arbitrabar, quod Antonium, hominem candidissimum essem nactus, cujus humanitas illius feritatem leniebat. Invidit mihi rursum, nescio

quod Numen, jucundiſſimi Sodalis convictum; diſtrahitur invitus ab invito. Inde ſolus, & deſtitutus, dum omnia tento, nihil non experior. Deum immortalem in quos fluctus, in quæ monſtra incidi? His tantis, tamque perpetuis malis, vel Hercules ipſe, aut ſi quid Hercule fortius, vinci poterat. Obdurui tamen, ſic mecum cogitans: Adverſam fortunam & ſi infeſta eſſet, aliquando malis meis ſatiatam, æquiorem futuram; Nemini perpetuò acerbam aut fuiſſe unquam, aut eſſe poſſe. Et ecce de integro capitali morbo corripior miſer, qui, quod erat diuturnus, & corpus & loculos protinus exhauſit. Nec erat cui meus doleret dolor, quos juvaret, per multi. Sogdianũ autẽ illum, præter cæteros, delectabat malũ meum, cui moleſtiſſimum ut eſſet, eram meritus. Ne tum quidem animum dejeci, non quod ſperarem quidquam, ſed ne teterrimo illi diſcipulo voluptatem augerem. Servatus ſum, ſed ſuperis, opinor, iratis, ſi miſeriis ferendis ſervatum eſſe voluerunt. Quid enim poſtea vel maximis, vel minimis in rebus à me tentatum eſt? quid tam dextrô conſiliô inſtitutum, quod non infeliciſſimè evenerit? O me omnium, qui

sunt, quique fuerunt, infortunatissimum Egone unus ex universo hominum numero, præposterus ille Polycrates extiti, cui omnia adversarentur, cui nihil unquam obtigerit optatum? Hic tu me, scio, veris, ut ajunt, bonis commemorandis, nimirũ literis & ingenio consolari incipies. Tolle mihi inanes istas consolationes, quæ ægritudinem meam exasperant etiam, tantum abest, ut leniant. Odi jam ego meum hoc ingenium, odi literas, quibus si carerem, minus miser essem, minus sentirem, minus angerer. Sed querelarum plus satis. Tu cura ut rectè valeas, quando nos Dii noluerunt.

EPISTOLÆ MONITORIÆ.

EPIST: I. *Ciceronis* Ex lib: 2. Famil: III.

Argum: *Auditô nuntiô de obitu patris sui Curio, instituit Ludos Circenses & Gladiatorios faciundos in honorem Patris vitâ functi, ut ita favorem & gratiam populi Romani sibi compararet (ludi enim maximorum munerum loco erant, in quos, ad oblectamentum populi, insignes expensæ fiebant) hoc itaque negotium, cum solus abesset, dederat Ciceroni, Rupæ, & aliis amicis suis. Excusat igitur Cicero, quod Rupa mandata ejus non esset executus, monetque statim, quod illi Ludi nihil expediant malè-affectæ Reipublicæ, & quod ex-*

penſa in eos facta divitias potius, quàm virtutem oſtendat. Tum adventum ejus dicit præſtantiorem fore omnibus muneribus; denique concludit ſignificatione benevolentiæ.

M. T. C. Curioni S. D.

Rupæ (1) ſtudium non defuit declarandorum (2) munerum tuo nomine: ſed nec mihi placuit, nec cuiquam tuorum, quidquam te abſente fieri, quod tibi cum veniſſes, non eſſet (3) integrum. Equidem quid ſentiam, aut ſcribam ad te poſtea pluribus, aut, ne ad (4) ea meditere, imparatum te (5) offendam, coramque contra iſtam rationem, meam dicam; ut aut te in meam ſententiam adducam, aut certè teſtatum apud animum tuum relinquam, quid ſenſerim; ut ſi quando (quod nolim) diſplicere tibi (6) conſilium tuum cæperit, poſſis meum recordari. Brevi tamen ſic habeto: in eum ſtatum temporum tuum reditum incidere, ut iis bonis, quæ tibi naturâ, ſtudiô, fortunâ data ſunt, facilius omnia, quæ ſunt ampliſſima in Republica, conſequi poſſis, quàm mune-

(1) animus (2) ludorum proponendorum. (3) parum eſſet, quod per te ipſum præſtare poſſes populo Rom; ſi te abſente ludi fierent. (4) ne contra ea te præpares, quæ à me dicenda ſunt. (5) ut te aggrediar eum, qui non habeas, quo meam ſententiam oppugnes. (6) conſilium de apparando funere & ludis magnificis.

ribus, quorum neque facultatem quisquam admiratur (eſt enim copiarum non virtutis) neque quiſquam eſt, (7) quin ſatietate jam defeſſus ſit. Sed (8) aliter, atque oſtenderam, facio, qui ingredior ad explicandā rationem(9)ſententiæ meæ. Quare omnem hanc diſputationem in adventum tuum differo. Summâ, ſcito, in expectatione te eſſe, eaque à te expectari, quæ à ſumma virtute, ſummoque ingenio expectanda ſunt ; (10) ad quæ ſi es, ut debes, paratus, (quod ita eſſe confido) plurimis maximiſque muneribus & nos amicos, & Cives tuos univerſos, & Rempublicā afficies. Jllud cognoſces profecto, mihi te neque cariorē, neque jucundiorē eſſe quenquā. *vale.*

EPIST: II. *Ciceronis*

Ex lib: 2. Famil: XXVIII.

Argum: *Thermus fuerat Proprætor in Helleſponto; cum itaque diſcederet de Provincia, tàm Quæſtor ejus, quàm Legati, Thermi loco, relinqui conabantur; & quidem Thermus Legatis magis aſſentiri videbatur. Quare Cicero monet Thermum, ut velit Quæſtorem ſuum Legatis anteferre, ne irritet animum Quæſtoris nobiliſſimi, pro-*

(7) ut non ſit tædio fatigatus ; quia ludi ſæpiſſimè inſtitui ſolebant. (8) quia dixerat Cicero prius ſe non ſcripturum, quæ ſit ſua ſententia (9) diſputationem de ratione ſententiæ meæ, ſcilicet quod inutilis ſit expenſa pro ludis. (10) quæ a te expectantur, ut omnia pro ſalute Reipublicæ facias, prout facere debes.

batque id intereſſe & utilitatis, & honoris. In exordio verò Epiſtolæ oſtendit ſe gaudere, quod ipſe Thermus, & Rhodon amicus ejus, grata habeant beneficia Ciceronis in ſe collata.

M.T.C. Jmp: Q. Thermo Proprætori S. D.

Officium meum erga Rhodonem ceteraque mea ſtudia, quæ tibi ac tuis præſtiti, tibi homini gratiſſimo grata eſſe, vehementer gaudeo: mihique ſcito in dies majori curæ eſſe (1) dignitatem tuam: quæ quidem à te ipſo (2) integritate & clementiâ tuâ, ſic amplificata eſt, ut nihil addi poſſe videatur. (3) Sed mihi magis, magiſque quotidie de rationibus tuis cogitanti placet illud meum conſilium, quod initio (4) Ariſtoni noſtro, ut ad me venit, oſtendi: graves te ſuſcepturum inimicitias, ſi (5) adoleſcens potens & nobilis, a te ignominiâ affectus eſſet, & hercle ſine dubio erit ignominia, habes enim neminem gradu ſuperiorem. Jlle autem, ut omittam nobilitatem, hoc ipſo vin-

(1) Præturam tuam curo glorioſiorem ſemper reddere.
(2) juſtitiâ & aliis virtutibus eadem dignitas inclaruit
(3) Conſilium ſuum aperit, ut Quæſtorem non Legatos relinquat in Provincia. (4) is Ariſton fuerat miſſus à Thermo ad Ciceronem in hoc ipſo negotio, de quo res eſt, conſulendum (5) Quæſtor, de quo admonetur Thermus, ut eum in loco ſuo conſtituat.

cit viros optimos hominesque innocentissimos, Legatos tuos, quod & Quæstor est, & Quæstor tuus. Nocere tibi iratum neminem posse perspicio; Sed tamen tris * fratres, summô locô natos, promptos, non indisertos, te nolo habere iratos, jure præsertim, quos video deinceps Tribunos-plebis per triennium fore. Tempora autem Reipublicæ qualia futura sunt, quis scit? mihi quidem turbulenta videntur fore. Cur ego te velim incidere in terrores Tribunicios, præsertim cum sine (6) cuiusquam reprehensione (7) quæstoriis Legatis Quæstorem possis anteferre? Qui si dignum se majoribus suis præbuerit (ut spero & opto) tua laus ex aliqua parte fuerit; sin quid offenderit: sibi totum, nihil tibi offenderit. Quæ mihi veniebant in mentem, quæ ad te pertinere arbitrabar, quod in Ciliciam (8) proficiscebar, existimavi me ad te oportere scribere. Tu, quod egeris, id, velim; Dii approbent. Sed si me audies, vita-

* Fratres Quæstoris maximè populares designati erant Tribuni-plebis, hos itaque monet amicos sibi potius habendos quam inimicos. (6) quia omnes probant justum esse, ut Quæstor Legatis anteferatur. (7) Quæstorii Legati dicuntur, qui antea fuerunt Quæstores, modò tantum Legati (8) significat se scripsisse in procinctu viæ ex Cappadocia in Ciliciam.

bis inimicitias,&(9)posteritatis otio consules. *vale.*

EPIST: III. *Plinii* Ex lib: 7.

Argum: *Plinius morbô amici scribens se admonitum, quod quando infirmi sumus, nullis vitiis detineamur; admonet & se, & Maximum, ut tales velint esse sani, quales infirmi se futuros spondent.*

Plinius Maximo suo S.

NUper me cujusdam amici langvor admonuit, optimos esse nos, dum infirmi sumus. Quem enim infirmum avaritia; aut libido sollicitat? non amoribus servit, non appetit honores, opes negligit, quantulumcunque, * ut relicturus, satis habet; tunc Deos, tunc hominem esse se meminit; invidet nemini, neminem miratur, neminem despicit,ac ne sermonibus quidem (1)malignis, aut attendit, aut (2) alitur, (3) balinea imaginatur & fontes. Hæc summa curarum, summa votorum, (4) mollemque in posterum & pingvem si contingat evadere, hoc est, innoxiam beatamque desti-

(9)tuorum etiam posterorum quieti consules.
(*) cum jam totum relinquere debeat. (1) obtrectatoriis (2) gaudet. (3) de remediis recuperandæ salutis tantummodo cogitat si melius habeat (4)proponit sibi cavere à commodis & cibis noxiis

destinat vitam. Possum ergo quod pluribus verbis, pluribus etiam voluminibus Philosophi docere conantur, ipse breviter tibi, mihique præcipere, ut tales esse sani perseveremus, quales nos futuros profitemur infirmi. *vale.*

EPIST: IV. *Plinii.*

Ex lib: 8.

Argum: *Plinius Maximum in Achajam missum ad eam ordinandam, monet, ut Civitates inspecturus, singulas humanè tractet; laudatque Achajam ab antiquitate, rebus gestis; postremo hortatur, velit bonam famam in Quæstura partam tueri; mollius & clementius tractando homines libertati assvetos.*

Plinius Maximo suo S.

Amor in te meus cogit, non ut præcipiam (neque enim præceptore eges) admoneam tamen, ut quæ scis, teneas & observes, aut scias melius. Cogita te missum in Provinciam Achajam, illam meram, & veram Græciam, in qua primùm humanitas, literæ, & postea fruges (1) inventæ esse creduntur, missum ad (2) ordinandum statum liberarum

Civita-

(1) quod plurimi Auctores sint, qui dicant in Græcia primum fruges seminari cæptas esse. (2) ad constituendas leges, ad præscribendos limites illis Civitatibus.

Civitatum, ſcilicet, ad homines (3) maxime liberos, qui jus à natura datum virtute, meritis, amicitiâ, fœdere denique, & religione tenuerunt. Reverere (4) conditores Deos, nomina Deorum; reverere gloriam veterum, & hanc ipſam (5) ſenectutem, quæ in homine venerabilis, in Urbibus ſacra eſt. Sit apud te honor antiquitati, ſit (6) ingentibus factis, ſit fabulis quoque. Nihil ex cujuſquam dignitate, nihil ex libertate, nihil etiam ex jactatione decerpſeris. Habe ante oculos hanc eſſe terram, quæ nobis (7) miſerit jura, quæ leges (8) non victa acceperit ſed petentibus dederit; Athenas eſſe, quas adeas; (9) Lacedæmonem eſſe, quam regas; quibus reliquam (10) umbram, reſidium libertatis nomen eripere durum, ferum, barba-

(3) quia Romani ſubjectis ſibi Græciæ Civitatibus, conceſſerunt iis libertatem ſuo jure utendi, quod certe aliis denegatũ fuerat (4) intelligit Palladẽ, quæ Athenis nomẽ impoſuit (5) Athenienſes credũtur vetuſtiſſimi omnium. (6) bellum adverſus Perſas, Amazonum ſtrages, Herculis geſta, Bellum Trojanum &c. (7) à Græcis Civitatibus delectas leges decem-viri Romam attulerant (8) quia tunc, quando leges ab Athenis accipiebantur, non à Philippo, neque ab alio ſubactæ erant Athenæ, ſed liberæ. (9) Athenas aliter ſic dictas à Lacedæmone Legislatore. (10) quia licet ſuis juribus vivebant, à nutu tamen Romanorum pendebant.

barbarumque eſt. Vides à medicis quanquam in adverſa valetudine nihil ſervi ac liberi (11) differant, mollius tamen liberos, clementiusque tractari? Recordare quid quæque Civitas fuerit; non ut deſpicias, quod eſſe deſierit. Abſit ſuperbia, aſperitas; nec timueris contemptum. An contemnitur, qui imperium, qui faſces habet? niſi qui humilis, ſordidus, & qui ſe primus ipſe contemnit. Malè vim ſuam (12) poteſtas aliorum contumeliis experitur: malè terrore veneratio acquiritur: longeque valentior amor ad obtinendum quod velis, quam timor; nam timor (13) abit, ſi recedas, manet amor: ac ſic, ut ille in odium, hic in reverentiam vertatur. Te verò etiam, atque etiam (repetam enim) meminiſſe oportet officii tui (14) titulum, ac tibi ipſi interpretari, quale, quantumque ſit ordinare ſtatum liberarum Civitatum. Nam quid ordinatione civilius? quid libertate pre-

tioſius?

(11) quia omnes homines æquè morbos patiuntur, mollius tamen curantur à medicis molliores & dilicatiores (12) quilibet Magiſtratus poteſtas dicitur. (13) quia præſentem tantum timent. (14) quod miſſus ſis cum Proconſulari imperio ad reformandos mores Athenienſium.

tiosius? porrò quam turpe, si ordinatio eversione, libertas servitute mutetur? Accedit quod tibi (15) certamen est tecum: onerat te Quæsturæ tuæ fama, quam ex Bithynia optimam revexisti; onerat testimonium (16) Principis; onerat Tribunatus, Prætura, atque hæc ipsa Legatio, quasi (17) præmium data. Quo magis (18) nitendum est, ne in longinquam Provinciam, quam suburbanam, ne inter servientes, quam liberos, ne sorte, quàm judiciô missus, ne rudis & incognitus, quàm exploratus probatusque humanior, melior, peritior fuisse videaris. Cum sit aliquid, ut sæpe audisti, multo deformius amittere, quàm non assequi laudem. Hæc, velim, credas, quod initio dixi, scripsisse me admonentem, non præcipientem, quanquam præcipientem quoque. Quippe non vereor in amore ne modum excesserim; neque enim timendum est, ne

(15) ne diversa prioribus rectegestis facias, enitendum tibi est. (16) Trajani, qui multis testatus est te virum optimum (17) pro anteactis optimè muneribus (18) curandum est: ut si in longinquioribus, qualis est Bithynia, in quà Præfectus fuisti; aut si apud subditos, optimus, & prudens audiebaris; in vicinioribus Provinciis, qualis est Achaia, & apud liberos, eandem de te existimationem amplifices.

ne ſit nimium, quod eſſe maximum debet. *vale.*

EPIST: V. *Senecæ* Nro. CV.

Argum: *Seneca Lucio perſcribit præcepta ad ſecuritatem vitæ utiliſſima, monetque, quâ ratione vita ſit optimè inſtituenda.*

Seneca Lucio S.

QUæ obſervanda tibi ſint; ut tutior vivas, dicam. Tu tamen ſic audias, cenſeo, iſta præcepta, quomodo ſi tibi præciperem, qua ratione bonam valetudinem in (1) Ardeatino tuearis. Conſidera, quæ ſunt, quæ hominem in perniciem hominis inſtigent: invenies ſpem, invidiam, odium, metum, contemptum. Ex omnibus iſtis, adeo (2) leviſſimum eſt contemptus, ut multi in illo remedii causâ (3) delituerint. Quem quis contemnit, calcat ſine dubio, ſed tranſit. Nemo (4) homini contempto pertinaciter, nemo diligenter nocet. Etiam in acie jacens præteritur; cum ſtante pugnantur. Spem improborum vitabis

(1) Pagus in Latio ſitus, ubi aer non adeo ſaluber (2) leviſſimũ malum eſt, contemni ab aliis. (3) non ſunt queſti, quod contemnerentur. (4) qui contemptus & abjectus eſſe videtur, pauciores habet adverſarios, quam alii, eoſque minus aſperos.

tabis, ſi nihil (5) habueris, quod cupiditatem alienam & improbam irritet, ſi nihil inſigne poſſederis. Concupiſcuntur enim inſignia, etiamſi parum nota ſunt. Sic vero invidiam effugies, ſi te non ingeſſeris oculis, ſi bona tua non jactaveris, ſi ſcieris in (6) ſinu gaudere. Odium autem ex offenſa ſic vitabis: neminem laceſſendo (7) gratuitò, à quo te ſenſus (8) communis tuebitur; fuit enim (9) hoc multis periculoſum. Quidam odium habuerunt, nec (10) inimicum. (11) Jllud præſtabit tibi & fortunæ mediocritas, & ingenii lenitas; cum te eſſe homines ſcient, quem offendere ſine periculo poſſint. Reconciliatio tua & facilis ſit, & certa. Timeri autem tam domi moleſtum eſt, quàm foris: tam à ſervis, quam à liberis. Nulli non ad nocendum ſatis virium eſt. Adjice nunc, quod, qui timetur, timet; nemo potuit eſſe terribilis

ſecurè

(5) monet ſuperflua & rara abjicienda, quia ea homines irritant ad nocendum (6) ſi ſcieris te non oſtentare, ſed in occulto gaudere de bonis tuis, invidiam vitabis (7) ſine cauſa (8) vulgus ſaltem judicabit id, quia te alius inique odio proſequitur. (9) ſine cauſa la ceſſere alium (10) poſſumus aliquos habere odio, licet non ſint inimici, præſertim ſi odio habeamus non perſonam, ſed facta ejus improba (11) bonum odium erit, ſi vitia reprehendamus modeſtè & moderatè.

ſecurè. Contemptus ſupereſt: cujus modum in ſua poteſtate habet, qui illum ſibi adjunxit; qui contemnitur, quia voluit, non quia debuit. Hujus (12) incommodum & artes bonæ diſcutiunt, & amicitiæ eorum, qui apud aliquem potentem potentes ſunt; quibus applicari expediet, non implicari; ne pluris remedium, quàm periculum conſtet. Nihil tamen æque proderit, quàm quieſcere, & minimum cum aliis loqui, plurimùm ſecum. Eſt quædam dulcedo (13) ſermonis, quæ irrepit & blanditur, & non aliter, quàm ebrietas, aut amor ſecreta producit. Nemo, quod audierit, tacebit: nemo (14) quantum audierit, loquetur. Qui rem non tacurit, non tacebit Auctorem. Habeat unus quiſque aliquem, cui tantum credit, quantum ipſi creditum eſt: ut garrulitatem ſuam cuſtodiat, & contentus ſit unius auribus, (15) populum faciet. Sic quod modò ſecretum erat, rumor eſt.

Se-

(12) contemptus vitari poteſt & artibus bonis, & amicitiâ familiarium apud Principes, ſi iis non nimium nos implicemus. (13) adulatio quæ velut amor, aut ebrietas ſecreta aperit. (14) quia plura ſemper addet. (15) id eſt, etiamſi uni rem dixerit, unus alteri &c. & ita populus ſciet.

Securitatis magna portio eſt, nihil iniqui facere. Confuſam vitam & perturbatam impotentes agunt: tantum metuunt, quantum nocent; nec ullo tempore vacant. Trepidant enim cum fecerunt, hærent, conſcientia aliud agere non patitur, ac ſubinde (16) reſpondere ad ſe cogit. Dat (17) pænas, quisquis expectat: quiſquis autem meruit, expectat. Tutum aliqua res in mala conſcientia præſtat, nulla ſecurum; putat enim ſe, etiamſi non deprehenditur, poſſe deprehendi; & inter ſomnos movetur, & quoties alicujus ſcelus loquitur, de ſuo cogitat. Non ſatis illi obliteratum videtur, non tectum. Nocens habuit aliquando latendi fortunam, nunquam fiduciam. *vale.*

Exemplum.

Amicus amicum monet in omnibus rebus gerendis ſalutis rationem maxime habendam.

Sic habeto rationem dignitatis, ut memineris ſalutis. Fama ægrè reſtituitur, ſed reſtituitur tamen; Vita ſemel

(16) reſpicere ad ſe cogit, cum illi conſcientia ſemper ſuggerat: quid feci? quid fiet? quid patiar? (17) ipſa expectatio pænæ, pœna eſt.

amiſſa nunquam recuperatur. Stultum eſt cum eo contendere, cui par eſſe non poſſis. Qui certat cum eo, quem non poteſt vincere, quæſo, quid aliud, quàm irritat crabrones? Fruſtra nitendo, nihil aliud, quàm odium quærere, an non extremæ dementiæ eſt? Si adverſus naturam tuam niteris, nihil aliud quàm cum Diis pugnaveris, & ſcis quomodo res ea ſucceſſerit Gigantibus? Quanto cum periculo tententur ea, quæ vires noſtras ſuperant, Phàétontis, Jcari, & Gigantium fabula te docere poterit. Quàm non tutum ſit audacem eſſe erga potentes & armatos, Adonidis interitus docere nos debet.

EPISTOLÆ NUNCIATORIÆ.

EPIST: I. *Ciceronis* Ex lib: 1. Famil: VIII.

Argum: *Cicero præmiſſa excuſatione, quod non ſcribat de rebus ad Lentulum pertinentibus (de quibus certior poterit fieri per Plætorium) docet eundem Lentulum, quô ſtatu ſit Reſpublica, oſtenditque ſe maximè habere voluntati Pompeji,*

peji, cum alii malè de Republica ſentiant; ita, ut potius vacationem quandam à Republica, quàm administrationem exoptet. Declarat deinde Pompejum amicum eſſe Lentulo. Concludit denique majori ſibi curæ eſſe res Lentuli, quàm ſuas, nihilque poſſe pro eo tantum facere, ut plus non debeat, quàm poſſit.

M.T.C. Lentulo Proconſuli S. D.

De omnibus rebus, quæ ad te pertinent, quid actum, quid conſtitutum ſit, quid Pompejus ſuſceperit? optimè ex Plætorio cognoſces, qui non ſolum interfuit, ſed etiam (1) præfuit; neque ullum officium hominis erga te amantiſſimi, prudentiſſimi, diligentiſſimi prætermiſit. Ex eodem de toto ſtatu rerum communium cognoſces, quæ quales ſint, non facile eſt ſcribere. Sunt quidem certè in (2) amicorum noſtrorum poteſtate, atque ita, ut nullam mutationem unquam hac hominum ætate habitura res eſſe videatur. Ego quidem, ut debeo, & ut tutè mihi præcepiſti, & ut me pietas utilitasque cogit, ad (3) ejus

(1) cauſam tuam egit. (2) Adminiſtratio rerum publicarum eſt in poteſtate Craſſi, Pompeji & Cæſaris, ita, ut ex eorum manibus nullô modô tolli poſſe videatur hâc noſtrâ ætate. (3) Ego Pompeji voluntati morem gero, quia ejus operâ, & mihi, qui ſum ab exilio revocatus, & tibi utendum putaſti.

jus rationes adjungo, quem tu in meis rationibus tibi eſſe adjungendum putaſti. Sed te non præterit, quàm ſit difficile, ſenſum in Republica, præſertim rectum & confirmatum (4) deponere. Verumtamen ipſe me conformo ad (5) ejus voluntatem, à quo (6) honeſtè diſſentire non poſſum, neque id tantum facio, ut forſitan quibuſdam videar, ſimulatione; tantum enim animi (7) inductio, & mehercule amor erga Pompejum apud me valet, ut quæ illi utilia ſunt, & quæ ille vult, ea mihi omnia jam & recta, & vera videantur. Neque (ut ego arbitror) errarent, ne adverſarii quidem ejus, ſi cum pares eſſe non poſſent, pugnare deſiſterent. Me quidem etiam illa res conſolatur, quod ego is ſum, (8) cui vel maximè concedant omnes, ut vel ea defendam, quæ Pompejus velit, vel taceam, vel etiam, id quod mihi maximè lubet, ad noſtra me ſtudia

(4) aliter ſentire, quam conſvevi, ſcilicet, ne rectè ſentiam. (5) ad Pompeji. (6) meritò non poſſum diſſentire à Pompejo, quia benè meritus eſt de me. (7) perſvaſio, propoſitum quoddam. (8) quem nemo reprehendit, cui nemo adverſatur, ſive cum dicam aliquid pro parte Pompeji, ſive cum non adſim in Senatu, ſed ſtudio literarum vacem.

dia referam literarum; quod profectò faciam, si mihi per (9) ejusdem amicitiam licebit. Quæ enim proposita fuerant nobis, cum & honoribus amplissimis, & laboribus maximis perfuncti essemus, dignitas in sententiis dicendis, libertas in Republica capessenda, ea sublata tota: sed nec mihi magis, quàm omnibus. Nam aut assentiendum est nulla cum gravitate paucis, aut frustra dissentiendum. Hæc ego ad te ob eam causam maxime scribo, ut jam de tua quoque (10) ratione meditere. Commutata tota ratio est Senatûs, judiciorum, rei totius publicæ; otium nobis exoptandum est: quod (11) ii, qui potiuntur rerum, præstaturi videntur, si quidam homines patientius eorum potentiam ferre potuerint. Dignitatem quidem illam Consularem fortis & constantis Senatoris, nihil est, quod (12) cogitemus; amissa est culpâ eorum, qui à Sena-

(9) si per Pompeji amicitiam licebit, faciam, ut ad literas me conferam, præsertim cum sublata sint, & libertas, & dignitas in sententiis dicendis. (10) Qualiter tu te gerere debeas postquam veneris in Senatum (11) Crassus, Pompejus, Cæsar, spem pacis nobis promittunt, si eorum potentiam aliqui patientius tulerint. (12) nihil est quod speremus futuram Consulatûs potestatem veterem.

à Senatu & (13) ordinem conjunctiſſimum, & (14) hominem clariſſimum abalienaverunt. Sed ut ad ea, quæ conjunctiora rebus tuis ſunt, revertar: Pompejum tibi valde amicum eſſe cognovi, & eo tu Conſule, quantum ego perſpicio, omnia, quæ voles, obtinebis; quibus in rebus me ſibi ille affixum habebit, neque à me ulla res, quæ ad te pertineat, negligetur. Neque enim verebor, ne ſim ei moleſtus, cui jucundum erit etiam propter idipſum, quod me eſſe gratum videbit. Tu vero tibi ita perſvadeas, nullam rem eſſe minimam, quæ ad te pertineat, quæ mihi non carior ſit, quàm meæ res omnes; (15) idque cum ſentiam, ſedulitate mihimetipſe ſatisfacere poſſum: re quidem ipſa ideo mihi non ſatisfacio, quod nullam partem tuorum meritorum non modo referendâ, ſed ne cogitandâ quidem gratiâ conſequi poſſum. Rem te valde bene geſſiſſe rumor erat. Expectabantur literæ tuæ de quibus eramus jam cum Pompejo locuti; quæ ſi erunt allatæ noſtrum

(13) Equeſtrem vel plebejum (14) Cæſarem, cui in alterum quinquennium Galliam Provinciam non decreverunt. (15) quod nulla res ad te pertinens ſit minima

noſtrum ſtudium extabit in (16) conveniendis Magiſtratibus & Senatoribus. Cætera, quæ ad te pertinebunt, cum etiam plus contenderimus, quàm poſſumus, minus tamen faciemus, quàm debemus.

EPIST: II. *Ciceronis.* Ex lib: 3. Famil. I.

Argum: *Appius in Cilicia Procons: & Imperator erat exercitûs; ad eum Phania ſe confert, cui Cicero dat literas ad Appium breviores, quàm inſtituerat, quoniam Phaniam omnia relaturum putabat, quæ in Republica gerebantur. Scribit etiam de amore ſuo in Appium; Laudat Phaniam, & Valerium commendat.*

M.T.C. Appio Pulchro Jmp: S.D.

Si ipſa Reſpublica tibi narrare poſſet, quomodo ſe ſe haberet, non facilius ex ea cognoſcere poſſes, quàm ex liberto tuo Phania: ita eſt homo non modo prudens, verùm etiam (quod (1) juvet) curioſus; quapropter ille tibi omnia explanabit, quod & ad (2) brevitatem eſt aptius,

(16) ut tibi ſupplicationem & honores pro rebus in Provincia bene geſtis decernant.
(1) utiliter, & in rebus dignis eſſe curiſoum donotat.
(2) quia Phania tibi referet omnia, quæ forent ſcribenda, ideo Epiſtola mea erit brevior, & res alias commodius continebit.

aptius, & ad reliquas res providentius. De mea autem benevolentia erga te, & si potes ex eodem Phania cognoscere, tamen videntur etiam aliquæ meæ (3) partes. Sic enim tibi persvade, carissimum te mihi esse, cùm propter multas svavitates ingenii, officii, humanitatis tuæ, tùm quod ex tuis literis, & ex multorum sermonibus intelligo, omnia, quæ à me profecta sunt in te, tibi accidisse gratissima. Quod cum ita sit, perficiam profecto, ut longi temporis (4) usuram (qua curuimus intermissâ nostrâ consvetudine) & gratiâ, & crebritate & magnitudine officiorum meorum sarciam; idque me (quoniam ita vis) puto non (5) invitâ Minervâ esse facturum: (6) quam quidem ego, si forte de tuis sumpsero, non solum Palladа, sed etiam Appiada nominabo. (7)

Cilix

(3) mearum etiam est partium, ut tibi scribam. (4) fructum amicitiæ, hoc est, officiorum ad invicem præstandorum rationem, quæ aliquanto tempore est intermissa, promittit se Cicero refecturum diligentius. (5) non repugnante naturâ, promptô ingeniô (6) Quæ quidem Minerva, sive promptitudo ingenii ad officia præstanda, si mihi de tuis scriptis aut literis advenerit. illam Minervam non suo nomine deam, Pallada, quæ mihi subministraret ingenium, sed Appiada ab Appio appellabo (7) idem quod Phania, à Ciliciæ Provicia sic dictus

Cilix libertus tuus, antea mihi minus fuit notus; ſed ut mihi reddidit à te literas, plenas & amoris & officii, mirificè ipſe ſuô ſermone ſubſecutus eſt humanitatem literarum tuarum. Jucunda mihi ejus oratio fuit, cum de animo tuo, de ſermonibus, quos de me haberes quotidie, mihi narraret. Quid quæris? Biduo factus eſt mihi familiaris: ita tamen, ut Phaniam valde ſim deſideraturus, quem cum Romam remittes, quod (ut putabamus) celeriter eras facturus, omnibus ei de rebus, quas agi, quas curari à me voles, mandata des, velim. L. Valerium, jureconſultum valde tibi commendo: (8) ſed ita etiamſi non eſt jureconſultus. Melius enim ei (9) cavere volo, quàm ipſe aliis ſolet. Valde hominem diligo; eſt ex meis domeſticis, atque intimis familiaribus; (10) omninò tibi agit gratias, ſed idem ſcribit, meas literas maximum apud te pondus habituras. Jd eum ne fallat, te etiam, atque etiam rogo. *vale.*

EPIST:

(8) licet non ſit, bene conſultus, ſeu peritus conſulendi (plurimi enim id nominis ſibi arrogabant.) (9) conſulere illi ego volo melius, quam ille aliis ſolet. (10) in literis ſuis ad me ex Cilicia ſcriptis oſtendit ſe eſſe gratum tibi pro tuis erga ſe beneficiis.

EPIST: III. *Bembi.*

Ex lib: 1.

Argum: *Bembus Patri suo reddit rationem itineris Venetiis Messanam peracti.*

P. Bembus Bernardo Bembo Patri S. P. D.

Messanam venimus ad quartum Nonas Majas, navigatione usi perincommodâ: quod viæ cum discedens a te, pedibus me facturum putarem, mutavi consilium, cum essem Neapoli, propter hospitiorum infrequentiam, tùm ipsa hospitia ab omnibus rebus imparatissima. Jtaque naviculam nacti, decimo die Siciliam tetigimus nauseantes. Sed abstersit nobis omnem molestiam Constantini Lascaris humanissima congressio, qui nos excepit libentissimè, & liberaliter est pollicitus; idque re præstat. Erudimur enim mira ipsius diligentia, tùm amore prope paterno. Omnino nihil illô sene humanius, nihil sanctius. Reliqua etiam omnia satis ex Sententia. Urbs præclarô locô posita ad mare, portu amplô, atque tutissimô. Aeris mira temperies. Annona rerum ad vi-

ctum

ctum omnium, cùm vilis, tùm luculenta. Quæ tibi nota eſſe volui, ut conſideres nos hic etiam cum voluptate futuros. Vale mi Pater optime, atque optatiſſime.

EPIST: IV. *Plinii.*

Ex lib: 9.

Argum: *Plinius ordinem vitæ, quem ruri æſtatis tempore ſervabat, Fuſco Salinatori explicat, ſimulque ſtudiorum ſuorum, & victûs modum, ac amicorum confabulationes &c. enarrat.*

Plinius Fuſco ſuo S.

Quæris, quemadmodum in Thuſcis diem æſtate diſponam? Evigilo, cum libuit, plerumque circa horam primam; ſæpe ante, tardius raro, clauſæ feneſtræ manent. Mirè enim ſilentio & tenebris animus alitur, ab iis quæ avocant, abductus, & liber, & mihi relictus: non oculos animo, ſed animum oculis ſequor, qui eadem, quæ mens, vident, quoties non vident alia. Cogito ſi (1) quid in manibus, cogito ad (2) verbum ſcribenti, emendantique ſimilis: nunc pau-

ciora

(1) ſi quid operis eſt mihi imperfecti (2) ſingula verba diligenter examino.

ciora, nunc plura, ut vel difficile, vel facile componi, (3) tenerivè potuerunt. Notarium voco, & die (4) admiſſo, quæ formaveram, dicto; abit, rurſusque (5) revocatur, rurſusque remittitur. Ubi hora quarta vel quinta (neque enim certum dimenſumque tempus) ut dies ſvavit, in (6) xyſtum me, vel cryptoporticum confero, reliqua meditor, & dicto, vehiculum aſcendo. Jbi quoque (7) idem, quod ambulans, aut jacens, durat intentio; mutatione ipſa refecta paullum redormio, dein ambulo, mox orationem græcam latinamve clarè & intentè, non tam vocis cauſsâ, quam ſtomachi, lego, pariter tamen & illa firmatur. Jterum ambulo, ungor, exerceor, lavor. Cænanti mihi ſic cum uxore vel paucis, liber legitur; poſt cænam * comedi aut lyriſtes: mox cum meis ambulo, quorum numero ſunt eruditi. Jta variis ſermonibus veſpera

(3) memoriâ, *v.* mandari memoriæ (4) apertis feneſtris (5) ad connotandum deinceps, quæ dictanda excogitavi. (6) locum ambulationis ſub dio, qui hinc inde arbores & porticus habet. Cryptoporticus, ſignificat abditam porticum ad deambulandum nubilo tempore (7) facio. * introducuntur, ut recreent animum

(8) extenditur, & quanquam longiſſimus dies, cito conditur. Nonnunquam ex hoc ordine aliqua mutantur. Nam ſi diu tacui, vel ambulavi, poſt ſomnum demum lectionemque, non vehiculô, ſed quod brevius, quia velocius, equô geſtor. Interveniunt amici ex proximis oppidis, partemque diei ad ſe trahunt, interdumque laſſato mihi opportunâ interpellatione ſubveniunt. Venor aliquando, ſed non ſine (9) pugillaribus, vel quamvis nihil cæperim, non nihil referam. Datur & colonis, ut videtur ipſis, non ſatis temporis, (10) quorum mihi agreſtes querelæ literas noſtras, & iſthæc urbana opera commendant. *vale.*

EPIST: V. *Plinii*

Ex lib: 10.

Argum: *Cùm Nerva ob ſenium deſpectui eſſet militibus, Capitolium aſcendens deſignavit Imperatorem Trajanum tunc cum imperio adverſùs Germanos abſentem. Nunciat itaque Plinius Trajano,*

(8) protrahimus ſermones ad multum noctis. (9) ſignificat amorē literarū. qua ratione licet ex venatione nullā prædam dicit ſe referre, non tamen, vacuū redire. (10) ex agreſtibus querelis dicit urbana opera, & ſtudia literarum longe commendatiſſima eſſe.

no, diem hunc, quo susceperat Jmperium, celebrasse, & Commilitonibus jusjurandum solenne dedisse.

Plinius Trajano.

Diem, Domine, quô servasti Jmperium, dum suscipis, quantâ mereris, lætitiâ celebravimus; precati Deos, ut ut te generi humano (cujus tutela & securitas saluti tuæ invisa est) incolumem florentemque præstarent. (1) Præivimus & Commilitonibus jusjurandum more solenni præstantibus, & provincialibus, qui eâdem certarunt pietate, jurantibus.

EPIST: VI. *Sabellici*

Argum: *Sabellicus defert Catalutio, quod de ejus duobus Filiis alter præ alio majorem in studiis profectum faciat; monetque eum, ut rerum suarum rationem habeat.*

Sabellicus Catalutio S.

Si tu cum tota Domo vales, bene est, nos hic, Dei benignitate, valemus. Stephanio noster omnem mentem, curam & cogitationem in bonarum Artium

(1) conceptis verbis jusjurandum in acta Cæsarum, & verba nomenque Imperatorum prælegimus subsequente populo.

um ſtudia conjecit: cæpitque jam effuſis, ut ita dixerim, habenis, ſtudium decurre, quod certamen tyrunculus reformidabat; vix credas, quantum de ejus profectu nobis ſperare liceat. Sequitur eum Marius non tam æquis paſſibus. Spero omnino fore, ut illum vobis virum ægregium reſtituam. Tu verò, quia te huc venturum ſcripſiſti, cave venias, ac ne alium quidem, quantum in te erit, patiaris ad me venire, habete obſecro & vos quamcunque aliquando mearum rerum rationem, quem peregrinatio illa ſuperioris anni tanta laſſitudine affecit, ut vix ad hunc diem reſpirare contigerit, ſcis credo, quid dicam, ſatis tu & Antonia habetis, ſi adoleſcens non minus eſt mihi, quam vobis charus. *vale.*

EPIST: VII. *Sabellici:*

Argum: *Narrat ſe Venetæ Urbis ſitum tribus voluminibus explicaſſe.*

Sabellicus Thomæ Triviſano S.

Feliciſſimæ Urbis veſtræ ſitum tribus nuper Voluminibus explicavi, Vir præſtantiſſime. Tentavi calamo aſſequi, quod & pictor penicillo, ut rem totam

le-

legentium oculis subjicerem. Tu, Vir clarissime, si vacat, cognosce, quæso, an quod volui, effecerim, audacterne nimis à me sit factum: quod tam procul hoc, quidquid est, ablegaverim, alii videbunt. Ego lucubrationem ipsam Hieronymo Donato, qui nunc Romæ Oratoris munere apud Alexandrum Pontificem fungitur, eô consiliô inscripsi, ut & mei Quirites, qui locorum distantia rem tantam, & ubique celebrem, videre non potuerunt, velut in tabula quadam, cæterum opere (ut spero) indelebili figuratam cernerent. Adjeci illi, imo prætuli Librum unum de Venetis Magistratibus, quem Serenissimo Principi superiore anno inscripsi, ut omnes Gentes planè intelligant: vestræ florentissimæ Reipublicæ justitiam & æquitatem haud minorem esse, quàm ipsius sit Urbis fortuna & amplitudo. *vale.*

EPISTOLÆ PETITORIÆ.

EPIST: I. *Ciceronis* Ex lib: 5. Famil: IX.

Ar-

Argum: *Vatinianus cum gereret bellum in Jllyriis, & ob res benè gestas optaret sibi decerni supplicationes: quidam malevoli & invidi impugnabant eum, & honori ejus detrectabant; quare rogat Ciceronem, ut quemadmodum ante in periculo capitis eum defendit ita nunc defendat in honore. Deinde pollicetur se daturum operam, ut Dionysius Ciceronis servus fugitivus tandem inveniatur, profugerat enim in eas Regiones.*

Publius Vatinianus Jmp: Ciceroni suo S. D.

Si vales, bene est, ego valeo. Si tuam consvetudinem in patrociniis tuendis servas, (1) P. Vatinianus (2) cliens advenit, qui pro se causam (3) dicier vult. Non, puto, repudiabis in honore, quem in (4) periculò recepisti. Ego autem, quem potius adoptem, aut invocem, quàm illum, quô defendente, (5) vincere didici? An verear, ne, qui potentissimorum hominum conspirationem (6) neglexerit pro mea salute, is pro honore meo, pusillorum ac malevolorum ob-

(1) loquitur de se tanquam tertia persona. (2) egens Patrono, advocatum colens. (3) pro dici, defendi, agi causam vult. (4) contra Vatinianum hunc, postquam Consulatu decessit (fuit enim Consul) fuerat instituta actio à Tribunis plebis, defenderatque eum Cicero ideo dicitur: in periculo, salutis scilicet. (5) adversarios meos. (6) contempserit, neque ea territus sit conspiratione, quæ facta fuerat ad versus me.

trectationes & invidias non prosternat, atque proterat? Quare, si me, sicut soles, amas, suscipe me totum; atque hoc quidquid est (7) oneris, ac muneris, pro mea dignitate tibi tuendum ac sustinendum puta. Scis, meam fortunam, nescio quomodo, facile obtrectatores invenire, non meô quidem, me hercules, (8) meritô: sed quanti id (9) refert, si tamen fatô, nescio quô, accidit? Si quis forte fuerit, qui nostræ dignitati obesse velit, peto à te, ut tuam consvetudinem & (10) liberalitatem in me absente defendendo mihi præstes. Literas ad Senatum de rebus nostris gestis, quô exemplô miseram, infra tibi perscripsi. Dicitur mihi tuus servus (11) Anagnostes fugitivus (12) Vardaci esse, de quo tu mihi nihil mandasti. Ego tamen terra, marique, ut conquireretur, præmandavi: & profectò tibi illum repe-

(7) officii, quod tibi impono. (8) non meâ culpâ fortunam meam expositam esse detractionibus, cum sim innocens. (9) nihil interest. (10) qua maximè præstas in amicis defendendis (11) nomen est officii, & tales servi erant docti, qui dominis aliquid prælegere solebant ex græco vel latino præsertim inter cænadum, & inter otiandum. (12) Civitas in Illyrico.

reperiam; niſi ſi in Dalmatiam aufugerit: & inde tamen aliquando eruam. Tu nos, fac, ames. *Vale.*

EPIST: II. *Ciceronis.*

Ex lib: 15. Famil: X.

Argum: *Cicero rogat Marcellum, Conſulem deſignatum, ut quando accidit eo tempore eum habere Magiſtratum, cum ei prodeſſe poteſt, curet, ut Senatus - conſultum honorificentiſſimum de eo fiat, ut ei faveat, & in ſupplicatione decernendas & in ceteris rebus; quæ eum facere debere multis cauſis probat.*

M.T.C. Jmp: Marcello Conſuli Deſign: S.P.D.

Quando id accidit, quod mihi maximè fuit optatum, ut omnium Marcellorum, & Marcellinorum etiam (mirificus enim generis ac nominis veſtri fuit erga me ſemper animus) quùm ergo ita accidit, ut omnium veſtrum (1) ſtudio tuus Conſulatus ſatisfacere poſſet, in quem meæ res geſtæ, lausque & honos (2) earum potiſſimum incideret,

 peto

(1) ſtudio veſtrum omnium, quod habetis honoris mei amplificandi, Conſulatus tuus unicus ſatisfacere poteſt. ſive, ſtudium illud complere. (2) rerum geſtarum in Provincia laus in hæc tempora, quibus Conſul es deſignatus, incidit, ut ſc: ſupplicatio decerneretur.

peto à te id, quod facillimum factu est, non aspernante, ut confido, Senatu, ut quàm honorificentissimum Senatus-consultum, literis meis recitatis, faciendum cures. Si mihi tecum (3) minus esset, quàm est cum tuis omnibus, allegarem ad te illos, à quibus intelligis me præcipuè diligi. Patris tui beneficia in me sunt amplissima; neque enim saluti meæ, neque honori amicior quisquam dici potest. Frater tuus quanti me facit, semperque fecerit, esse hominem, qui ignoret, arbitror neminem. Domus tua denique tota me semper omnibus summis officiis prosecuta est. Neque enim (4) tu in me diligendo cuiquam concessisti tuorum. Quare à te peto in majorem modum, ut me per te, quám ornatissimum velis esse, meamque & in supplicatione decernenda, & in ceteris rebus existimationem satis tibi esse commendatam putes. *vale.*

EPIST: III. *Bembi.*
Ex lib: 5.

Argum: *Michael Venetus cesserat Bembo Beneficium Ecclesiasticum, cujus possesionem antequam* *asse-*

(3) minus amicitiæ, familiaritatis &c. (4) tu ipse etiam non superaris à quoquam in amore mei.

assequeretur Bembus, Michael vitâ decessit. & difficultatem ejusdem Sacerdotii assequendi reliquit. petit igitur Bembus Bannisium, qui plurimum valuit apud Cæsarem, ut ad illius Beneficii possessionem aditum sibi faciat. Atque imprimis declarat Bembus se esse optimâ voluntate erga Bannisium; tum denique petitionem suam exponit.

P. Bembus Jacobo Bannisio S.P.D.

Et amavi te omni tempore, mi Bannisi; egregia enim doctrina tua mihi dudum perspecta & cognita, studiorumque similitudo, atque imprimis singularis probitas, moresque candidissimi tui, tibi me jam pridem devinxerunt; & proximè omnibus tuis in rebus, quibus esse usui apud Leonem X. Pont: Max: potuit studium & diligentia mea, tibi non defui. Cujus rei vir, tui planè studiosus, Stephanus (1) Rosinus est testis. Utinam mihi se occasio aliquando det, propensam ad tua commoda, dignitatesque voluntatem, quam præmefero tibi aliqua magna in re ostendendi! Vincam certè meis studiis expectationem

(1) Rosinus amicus Bannisii morabatur Romæ aliquanto tempore, vixitque familiariter cum Bembo, eum itaque addućit testem suorum studiorùm, quæ præstitit apud Pontificem pro Bannisio.

onem tuam. Tu si eâdem es in me voluntate; non videor in re mea, studium item & commendationem apud Imperatorem tuam, non jure petiturus. Ea verò est ejusmodi: cessit mihi, dum viveret, Angelus Michàël Civis Venetus Sacerdotium, quod is in Veronensi habebat, Monzabaniensium templum. Hujus Sacerdotii possessionem assequi nunquam potuimus: quanquam id Princeps suo & Reipublicæ nomine fieri jusserit. Quamobrem familiariter abs te peto, ut cum Cæsare, quicum semper es, agas; ut is, cujus quidem liberalitatem omnes homines prædicant; mandet, jus mihi meum, ea in re, non impediri: possessionem Sacerdotii Procuratori meo aliquando tandem dari. Erit id & illius magnitudinis animi proprium, & mihi ab eo magnopere gratum; abs te etiam jucundissimum. *vale.*

EPIST: IV. *Plinii.*
Ex lib: 4.

Argum: *Plinius nomine Herennii rogat Julium Severum, ut per aliquem summum artificem curet imagines Cornelii Nepotis, & Titi Cassii quàm simillimas Archetypo depingendas, quas Herennius in sua Bibliotheca positurus est.*

Plini-

Plinius J. Severo ſuo S.

Herennius Severus, vir doctiſſimus magni æſtimat in Bibliotheca ſua ponere imagines (1) Municipum tuorum Corn: Nepotis & Titi Caſſii: petitque ſi ſunt iſtic, ut eſſe credibile eſt, exſcribendas, pingendaſque (2) delegem. Quam curam tibi potiſſimum injungo: primùm quia deſideriis meis amiciſſimè obſequeris: deinde, quia tibi (3) ſtudiorum ſumma reverentia, ſummus amor ſtudioſorum: poſtremo, quod (4) Patriam tuam, omneſque, qui nomen ejus auxerunt, ut Patriam ipſam veneraris & diligis. Peto autem, ut pictorem quàm diligentiſſimum aſſumas. Nam cùm eſt arduum ſimilitudinem effingere ex vero, tùm longe difficillimum eſt (5) imitationis imitatio. A qua, rogo, ut artificem, quem elegeris, ne in (6) melius quidem ſinas aberrare. *vale.*

(1) Concivium, ſive eodem jure viventium, ab eadem Urbe originem ducentium (2) committam (3) literarum (4) Parmam, quam ſuis ſcriptis & rebus geſtis Cornelius cum Tito illuſtrarunt. (5) non exemplaris, ſed jam alterius picturæ traductio dicitur difficillima, nam imitator ſemper deficit ab imitato. (6) ne in majorem quidem decorem, hoc eſt, per adulationem.

EPIST: V. *Plinii.*
Ex lib: 10.

Argum: *Plinius petit commeatum excurrendi in oppidum Tiphernum, & in agros suos per mensem, quod illic esset ædificaturus Templum, in quod Trajani indulgentiâ erat translaturus Principum statuas per fundos sparsas, appositâ ipsiusmet Trajani statuâ, & agros suos ordinaturus.*

Plinius Trajano.

Cùm divus (1) Pater tuus, Domine, & oratione pulcherrimâ, & honestissimô (2) exemplô omnes Cives ad munificentiam esset cohortatus, petii ab eo, ut statuas Principum, quas in (3) longinquis agris, per plures successiones traditas mihi, quales acceperam, custodiebam, permitteret in (4) Municipium transferre, adjectâ suâ statuâ, quodque ille mihi cùm jure plenissimo indulserat, ego statim (5) Decurionibus scripseram, ut assignarent solum, in quo Templum pecuniâ meâ extruerem: illi in (6) ho·

(1) Nerva, à quo Trajanus fuerat in filium adoptatus. (2) nam & de suo plurima donavit, & bona damnatorum injustè à Domitiano Imp: ablata hæredibus restituit. &c. (3) procul ab Urbe. (4) *Typhernum* oppidum, juxta quod villam suam habuit & a quo iuvenis ad huc in Patronum suum cooptatus fuerat. (5) Senatoribus Typherni. (6) pro honore, pro ratione operis, quod sanctum erat.

nore operis ipſius electionem loci mihi obtulerant. Sed primùm meâ, deinde Patris tui valetudine, poſtea curis delegati à vobis (7) officii retentus, nunc videor commodiſſimè poſſe in (8) rem præſentem excurrere. Nam & (9) menſtruum meum Calend: Septembris finitur, & ſequens menſis complures dies (10) feriatos habet. Rogo ergo ante omnia, permittas mihi opus, quod inchoaturus ſum, (11) exornare & tuâ ſtatuâ: deinde, ut hoc facere quam maturiſſimè poſſim, indulgeas (12) commeatum. Non eſt autem ſimplicitatis meæ (13) diſſimulare apud bonitatem tuam, (14) obiter te plurimum collaturum utilitatibus rei familiaris meæ. Agrorum enim, quos (15) in eadem regione poſſideo, locatio cum alioqui (16) CCCC. excedat, adeo non poteſt differri, ut pro-

xi-

(7) Præfectus ærarii fuerat. (8) ad locum templo deligendum & alia peragenda (9) alternis menſibus Præfecti ærario curam ejus ſuſtinebant. dicit itaque menſem ſuum finiri (10) à negotiis publicis vacuos (11) petit à Trajano ut concedat ſuam etiam ſtatuam poni, (12) facultatem diſcedendi (13) abſcondere id, ſcilicet, (14) quod ſi tantum indulſeris mihi commeatum, maximas mihi utilitates à te collatas eſſe ſentiam. (15) Thuſcana. (16) locatio agrorum quadringenta ſeſtertia excedit, id eſt, reditus ex illis agris. 1200000. Tal:

ximam putationem novus (17) colonus facere debeat. Præterea, continuæ ſterilitates cogunt me de (18) remiſſionibus cogitare, quarum rationem, niſi præſens, inire non poſſum. Debeo ergo, Domine, indulgentiæ tuæ, & pietati meæ celeritatem, & ſtatuarum ordinationem, ſi mihi ob utraque hæc dederis commeatum triginta dierum. Neque enim anguſtius tempus præfinire poſſum, cum & Municipium, & ager, de quibus loquor, ſint ultra centeſimum & quiquageſimum (19) lapidem.

Reſponſoria ad præcedentem.

Trajanus Plinio.

Et (1) privatas multas, & omnes (2) publicas cauſas petendi commeatûs reddidiſti: mihi autem vel ſola voluntas tua ſuffeciſſet. Neque enim dubito, te, ut primum potueris, ad tam (3) diſtrictum officium reverſurum. Statuam poni mihi à te eô, quô deſideras,

loco

(17) Poſſeſſor cui obligandi ſunt agri: putatio vero refertur ad vineas. (18) de reditibus aliquid cedere propter ſterilitates. (19) milliare lapide notatum.
(1) de agris ordinandis. (2) de Templo extruendo.
(3) neceſſarium, id eſt, ad rationes Ærarii faciendas.

locô (quanquam ejuſmodi honorum (4) parciſſimus) tamen patior, ne impediſſe curſum erga me pietatis tuæ videar.

EPIST: VI. *Plinii.*

Ex lib: 10.

Argum: *Plinius petit Præturam amico ſuo Actio Suræ.*

Plinius Trajano.

Scio, Domine, memoriæ tuæ, quæ eſt benefaciendi tenaciſſima, preces noſtras inhærere, quia tamen in (1) hoc quoque ſæpe indulſiſti, admoneo ſimul & impensè rogo; ut Actium Suram Præturâ exornare digneris, cùm locus vacet, ad quam ſpem alioqui (2) quietiſſimam hortatur & natalium ſplendor, & ſumma (3) integritas in paupertate, & ante omnia felicitas temporum, quæ bonam conſcientiam Civium tuorum ad (4) uſum indulgentiæ tuæ provocat & attollit.

EPI-

(4) quia Trajanus multas ſibi Statuas erigi non patiebatur.

(1) ut, ſcilicet, te quaſi admoneam beneficentiæ, conceſſiſti (2) certiſſimam. (3) magna laus pauperis, ſi non corrumpatur donis. (4) ad petenda tua beneficia, quia facile exoraris.

EPIST: VII. *Sabellici.*

Argum: *Sabellicus petit Carolum, ut literæ majoris cujuſdam ponderis domum perferantur.*

Sabellicus Carolo ſuo S.

Ex omnibus officiis, quæ multa & magna mihi, jam inde à noſtro veteri contubernio, præſtitiſti, Carole humaniſſime, hoc erit omnium maximum, longèque gratiſſimum, ſi dabis operam, ut hæ literæ noſtræ, quæ majuſculi cujuſdam ſunt ponderis, continuo Domum perferantur, ne eorum, quibus creditæ fuerint, incuriâ intercidant, vide, amabo. Matrem tuam fæminam nobiliſſimam, & fratres jubeo ſalvere. *vale.*

Exemplum.

Amicus ab amico petit ſibi dari mutuò decem aureos.

Quod ego tibi ultro deferrem, ſi facultatum tuarum æque mihi, ac meæ indigentiæ tibi eſſet, id non dubito, quin & tu mihi lubens delaturus ſis, mi Laurenti. Opus eſt mihi decem aureis, quos, oro, ut mihi des mutuo; non dici poteſt, quam illis egeam. Etenim ne obolus qui-

quidem amplius mihi eſt, & ut ſcis, multa mihi familia, multæ operæ, quibus victus ſuppeditandus eſt; non quærunt unde habeas, ſed oportet habere. Neque verò tibi homini tantum non cum Cræſo conferendo, difficile factum erit, decem aureos hominis & egentis & amici uſibus exponere. Et quamvis tu plures citra diſpendium rerum tuarum mihi utendos dare poſſes, parum abſ te peto, ut minore negotiô inpetrem. Quot verò mihi commoditates parva tua pecunia allaturus ſis, vide: meam exiſtimationem, ne omnino elevetur, conſervabis; liberi, operæ, uxor ne fame pereant, cavebis; me in tuo, quod ajunt, ære eſſe facies. Ubi viciſſim ſi non pecuniâ, at induſtriâ, conſiliô, literis, ſi quas modò calleo, tibi, tuiſque conſulere potero; diſperеam, ſi non me tuum eſſe dixeris. *vale.*

EPISTOLÆ SVASORIÆ.

EPIST: I. *Ciceronis*

Ex lib: 8. Famil: XVI.

Ar-

Argum: *Cum verſaretur Reſpublica in magnis periculis propter diſcordias Cæſaris & Pompeji, ſcripſerat Cicero ad Cælium, incertum eſſe, quod conſilium ſuis rebus caperet. Inde ſuſpicatus eſt Cælius Ciceronem mali aliquid cogitare; & maximè ne ſe transferret ad Pompejum. Suadet itaque Cælius Ciceroni, ne afflictam fortunam ſequatur, (pulſus enim erat Italiâ Pompejus) ſed in aliquem locum à bello vacuum ſecedat, donec bellum confectum fuerit.*

M. Cælius M. Ciceroni S.D.

Exanimatus ſum tuis literis, quibus te nihil, niſi triſte cogitare oſtendiſti: neque id quid eſſet, perſcripſiſti: non enim, quale eſſet, quod cogitares, aperuiſti. Has illico ad te literas ſcripſi. Per fortunas tuas, Cicero, per liberos oro, obſecro, ne quid gravius de ſalute & incolumitate tuâ conſulas. Nam Deos, homineſque, amicitiamque noſtram teſtificor, me neque temerè tibi prædicaſſe, neque temerè monuiſſe: ſed poſtquam Cæſarem convenerim, ſententiamque ejus, qualis futura eſſet, partâ victoriâ, cognoverim, te certiorem feciſſe. Si exiſtimas eandem rationem fore Cæſari in dimittendis adverſariis

&

& conditionibus ferendis, (1) erras. Nihil nisi atrox & sævum cogitat, atque etiam loquitur. (2) Iratus Senatui exiit: his (3) intercessionibus plane incitatus est: non, me hercule, erit deprecationi locus. Quare si tibi tu, si filius unicus, si domus, si spes tuæ reliquæ tibi caræ sunt, si aliquid apud te nos, si vir optimus, gener tuus, valet; quorum fortunas non debes velle conturbare, ut (4) eam causam, in cujus victoria salus nostra est, odisse, aut relinquere cogamur, aut (5) impiam cupiditatem contra salutem tuam habeamus. Denique illud cogita: quod (6) offensæ fuerit in illa cunctatione te subjisse? nunc te contra (7) victorem facere, quem dubiis rebus lædere noluisti? & ad eos (8) fugatos accedere, quos resistentes sequi nolueris? summæ stul-

tiæ

(1) erras, si putas Cæsarem facile dimissurum his, qui eum persequuntur, nisi sub gravissimis conditionibus. (2) quod ea, quæ volebat, ab eo impetrare non potuerit. (3) factis pro Pompejo, quem noluit designari Consulem, priusquam traderet exercitum & Provincias. (4) Cæsarianam (5) aut mortem tuam cupiamus, quod est impium, quia te amore Paterno prosequi debemus (6) quam graviter offendisti Cæsarem, cum adhuc dubiis rebus neutram partem secutus fuisses. (7) Cæsarem (8) Pompejanos Italiâ pulsos.

tiæ eſt. Vide, ne, dum pudet te parum (9) adoptatum eſſe, parum diligenter, quid optimum ſit; eligas. Quod ſi totum tibi perſvadere non poſſum: ſaltem, dum, quid de Hiſpaniis agamus, ſcitur, (10) expecta, quas tibi nuntio, adventu Cæſars, fore noſtras. Quam (11) iſti ſpem habeant, amiſſis Hiſpaniis? neſcio. Quod porrò tuum coſilium ſit ad deſperatos accedere? non, medius fidius, reperio. Hoc, quod tu non dicendo, mihi ſignificaſti, Cæſar audierat; ac ſimul atque ave mihi dixit, ſtatim quid de te audiſſet; expoſuit. Negavi me ſcire: ſed tamen ab eo petii, ut ad te literas mitteret, quibus maximè ad (12) remanendum commoveri poſſes. Me ſecum in Hiſpaniam ducit. Nam niſi ita faceret, ego prius, quàm ad Urbem accederem, ubicunque eſſes, ad te percurriſsē; & hoc à te præſens; contendiſsē atque omni vi te retinuiſsē. Etiã atque etiam

(9) non electum à Cæſare quaſi diceret, ſi indignaris quod te Cæſar in ſuas partes fortius non traxerit, cave, ne te magis pæniteat, ſi tibi eligas partes Pompeji (10) expecta ſaltem quid fiet in Hiſpaniis, quo Cæſar miſit exercitum contra Petreium & Afranium Pompeji Duces. (11) Pompejani. (12) ne accederes ad Pompejum; ſed ut in eodem ſtatu, neutrum ſequendo, permaneres.

tiam, Cicero, cogita, ne te, tuoſque omnes funditus evertas; ne te ſciens prudenſque eò demittas, unde exitum vides nullum eſſe. Quod ſi te aut voces Optimatium (13) commovent, aut non nullorum hominum inſolentiam & jactantiam (14) ferre non potes: eligas, cenſeo, quoddam oppidum, vacuum à bello, dum (15) hæc decernuntur; quæ cum confeceris, & ego te ſapienter feciſſe judicabo, & Cæſarem non offendes. *vale.*

EPIST: II. *Bembi.*
Ex lib I. part: II.

Argum: *Leo X. cum eſſet inauguratus Summus Pontifex, intellexit diſſenſiones inter Sigiſmundum Regem Poloniæ, atque Albertum Marchionem Brandeburgenſem, eſſe. Svadet itaque Sigiſmundo concordiam, offerendo ſe ſe, cauſam in Concilio Lateranenſi, quod jam tunc agebatur, inter eos compoſiturum Romæ, cui ut aſſentiatur Sigiſmundus, terret eum malis Reipublicæ Chriſtianæ imminentibus à Turcarum irruptione; precatur eum, ut a bello deſiſtat, pro amore pacis, & pro dignitate illius.*

O Si-

(13) ſi induceris ad partes Pompeji ſvaſionibus Principum aliquorum. (14) quod te non nulli perſequantur, quia ſolus plane diſſentis ab omnibus, cum nulli factioni adhæreas (15) donec bellum finiatur.

Sigiſmundo Poloniæ Regi.

Intellexi magna quidem cum moleſtia inter te atque Albertum Marchionem, ut appellant, Brandeburgenſem, (1) Marianorum Theutonicorum in Pruſſia Magiſtrum plurimas atque maximas jam inde à veſtris majoribus ortas, atque traditas diſſenſiones extiſſe; eamque ob rem omnes homines, quibus veſtræ utriuſque (2) rationes atque cauſæ cognitæ eſſent, magnopere vereri; ne poſt (2) eum diem, qui dies erit pridie Jd: Martias, magnum atque apertum bellum inter vos commoveatur, maximiſque cum gentium & populorum, qui veſtro in imperio ſunt, detrimentis atque cladibus exerceatur: qui dies præſtitutus à vobis fuit; quo die (4) ille ſtatueret, utrum à te imperata faceret, an ſe in libertatem vindicaret. Jtaque vel pro mea in omnem Chriſti populum cura & ſtudio, vel maximè pro ea voluntate, quam quidem

(1) ordinis Crucigerorum, qui ex Germania conducti à Polonis tanquam amici, poſtea facti ſunt hoſtes Polonis infenſiſſimi, & Pruſſiam occuparunt. (3) quàm vobis infenſi eſtis, & quam fortiter adverſus vos armamini. (1) pridie Idus Martias bellum incipiendum erat. (4) Marchio Brandeb: ab hac die dicebat pendere fortunam vel imperandi, vel imperata faciendi.

quidem erga te benevolam & propensam imprimis habeo, graviter tuli hôc ingressu atque initiô mei Pontificatûs certiorem me fieri, nova jamjamque à vobis bella imminere, novos armorum motus, nova incendia excitari: cum illud imprimis cupiam, eique rei omnem meam curam & cogitationem adhibendam statuerim, ut ea, quæ dudum succensa ardere adhuc, flagrareque videntur, bella, inimicitiæque magnorum Principum, modis omnibus restinguantur. Quod quidem Dei Optimi Maximi auxiliô, qui ad se tendentes, seque unum respicientes, conatus hominum consiliaque non deserit, brevi fore cofidebam: Quamobrem paterno te & amore, & studiô esse hortandum putavi; ut cursum atque impetum irarum tuarum tantisper sustineres, dum à me Legatus amplissima cum potestate (5) istuc veniat, qui vestris causis & controversiis cognitis, quæ æqua sint, amicè statuat, concordesque vos, si fieri potest, & pacatos reddat. Decrevi enim meos Legatos magnos viros ad plurimas quàmprimùm

(5) in Poloniam miserat suum Legatum ad has discordias componendas.

Nationes mittere. Vel tu, si id tibi erit (6) antiquius, rem totam integrasque partes tuas Lateranensi Concilio jam incepto remittas, atque rejicias; à quo (7) porrò maximè convenit Regum, & Ducum, & magnorum Principum contentiones controversiasque terminari. Quod & nobis erit gratum, ut causa ipsa, cujus non nullas sæpius partes aliquod (8) ante me Romani Pontifices rectè utrique vestrum consulentes attigerunt, Romæ per Concilium transigatur; & tibi certè cùm ad rerum tuarum statum securitatemque conducibilius, tùm ad animi tui quietem & tranquillitatem longè aptiùs; non unum modò Romanum Pontificem, sed una cum ipso etiam reliquos omnes universamque (9) Rempublicam vestrarum litium, expostulationum, discordiarum, disceptatricem extitisse: cùm existimandum sit, quæ totius Reipublicæ oculis perspecta decernuntur; ea & rectissimè confici, &

firma

(6) si id tibi videbitur melius (7) certè, profectò (8) bellum hoc à multis annis trahebatur, itaque ante Leonem adhuc alii Pontifices in eo sopiendo laborarunt (9) intelligit Cardinales, Patriarchas, Episcopos & alios, qui ad Concilium confluere solent.

firma atque solida planè fore. Iniquum est etiam & profectò miserum, optimas populosissimasque Nationes, quæ ad Christianæ ditionis atque gloriæ terminos propagandos, vel propter fortitudinem animorumque robur omnium aptissimæ, vel propter locorum (10) naturam opportunissimæ videantur esse: suis inter se odiis conteri, suis ipsarum simultatibus infringi & debilitari. Tùm illud vehementer timeo; ne si vos magnos Principes hostes perpetui nostri Turcæ, quos habetis finitimos, conversis contra vos armis concurrere. malè animatos senserint; magnâ ipsi ex ea re lætitiâ voluptateque perceptâ opperientes, dum vestrîs cladibus vires, opesque vestræ fractæ ac debilitatæ sint, unanimes atque integri vos adoriantur; & magno vestro cum malo, quod Deus omen avertat, Christiano nomini notam aliquam insignem, atque perpetuam inurant. Hoc cavere ipse; cui quidem universi gregis mandata cura, atque sanatio est; maximè omnium debeo; & pro-

(10) quia hæ ditiones & Regna Turcis, Moschis, sunt confinia, ideo ad propagandam Christianam Religionem opportunissima.

profectò cavebo, si te de me, deque re Christiana publica benè merendi studium, cogitatioque excitabit ; quâ nulla esse Regibus magis propria, nulla honestior ac palnè laudabilior potest. Quod quidem te facturum, tuâ virtute, atque prudentiâ fretus, sanè confido. Atque id, quod lubentius facias; scire te volo, eadem me de re ad Albertum literas daturum; ab eoque postulaturum, ut se contineat. Verùm quò tu propter Regiam dignitatem , atque amplitudinem apud omnes homines major, excelsiorque es, eò te cupimus priorem facilio remque meis hortatibus præstò esse. Quantò enim te leniorem & placabiliorem mihi & Reipublicæ præstiteris, tantò se Deus omnibus tuis aggrediendis, tractandisque rebus magis benevolum, atque propitium adjunget.

EPIST: III. *Plinii*
Ex lib: 3.

Argum *Corellia Hispula , Corelliô Patre, & Hispulâ Matre genita adolescentem filium domi erudiebat; Plinius itaque, olim Corellio amicissimus, svadet ei , filium humanioribus literis Rhetori alicui instituendum tradat; Inter ceteros autem Præceptores, Julium Genitorem unicè probat.*

Pli-

Plinius Corelliæ Hispulæ S.

CUm, Patrem tuum gravissimum & sanctissimum virum (1) suspexerim magis, an amaverim? dubitem; teque & in (2) memoriam ejus, & in honorem tuum unicè diligam, cupiam necesse est, atque etiam, quantum in me fuerit, enitar, ut filius tuus avo similis existat: equidem malo (3) materno: quanquam illi (4) paternus etiam clarus, spectatusque contigerit. Pater quoque & Patruus illustri laude conspicui, quibus omnibus ita demum similis adolescet, si imbutus honestis artibus fuerit, quas plurimum refert, à quo potissimum (5) accipiat. Adhuc illum pueritiæ ratio intra (6) contubernium tuum tenuit, Præceptores domi habuit, ubi est (7) erroribus modica, vel etiam nulla materia. Jam studia ejus (8) extra limen proferenda sunt, jam circumspiciendus Rhetor latinus, (9) cujus scholæ seve-

(1) veneratus sim, an amaverim magis? (2) & quod ejus memor sim, & quod te honorem (3) volo potius materno avo, id est, Patri tuo eum similem formari (4) id est, avus, mariti tui Pater, (5) à quo imbuatur interest (6) inter familiaritatem propter adolescentiam educabatur. (7) vitiis, (8) in Scholas publicas. (9) qui sit severior in instituendo, abstinens se à vitiis, vitæ incorruptæ, honestæ.

ritas, pudor imprimis, castitas. Adest enim adolescenti nostro cum cæteris naturæ fortunæque dotibus, eximia corporis pulchritudo, cui in hoc (10) lubrico ætatis non Præceptor modo, sed custos etiam, Rectorque quærendus est. Videor ergo demonstrare tibi posse Julium Genitorem; amatur à me, (11) judicio tamen meo non obstat charitas hominis, quæ ex judicio nata est; vir est emendatus & gravis: paulò etiam (12) horridior & durior, ut in hac licentia temporum; quantum (13) eloquentiâ valeat pluribus credere potes; nam dicendi facultas aperta & exposita statim cernitur. Vita hominum altos (14) recessus, magnásque latebras habet, (15) cujus pro Genitore me sponsorem accipe. Nihil ex hoc viro filius tuus audiet, nisi profuturum, nihil discet, quod nescisse rectiùs fuerit; nec minus sæpe ab illo, quam à te, meque admonebitur, quibus (16) imaginibus oneretur,

(10) in adolescentia, quæ facile potest ad malum declinare. (11) rectum tamen judicium meum est de eo, licet eum amem (12) aliquantum formidolosior pro ratione nostrorum temporum, in quibus maximâ licentiâ utimur, cum antiquitus idem non diceretur horridus. (13) dicit Iulium præsertim in loquendo esse acriorem. (14) abdita est natura hominum, & non statim cognosci potest, quæ cujusquam sit. (15) pro natura Genitoris ego spondeo. (16) quos majores suos habeat.

quæ nomina & quanta sustineat. Proinde, faventibus Diis, trade eum Præceptori, à quo mores primùm, mox eloquentiam discat, quæ malè sine moribus discitur. *vale.*

EPIST: IV. *Plinii.*
Ex lib: 8.

Argum: *Plinius monet Geminium, non esse imitandam illorum consvetudinem, qui alios gravissimè insectantur, in quo ipsi maximè peccant, quinimo à vitiis seipsum comprimendum, & alienis erroribus parcendum.*

Plinius Geminio suo S.

Nostine hos, qui omnium libidinum servi, sic aliorum vitiis irascuntur, quasi invideant, & gravissimè puniunt, quos maximè imitantur? cum (1) eos etiam, qui non indigent clementiâ ullius, nihil magis, quàm lenitas deceat. Atque ego optimum & emendatissimum existimo, qui ceteris ita ignoscit, tanquam ipse quotidie peccet; ita peccatis abstinet, tanquam nemini ignoscat. Proinde hoc domi, hoc foris, hoc in omni vitæ genere teneamus, ut nobis implacabiles simus, exorabiles istis etiam,

qui

(1) bonos, qui nihil reprehendendum admittunt.

qui dare veniam, nisi (2) sibi, nesciunt: mandemusque memoriâ, quod vir mitissimus, & ab hoc quoque maximus Thrasea crebro dicere solebat: qui vitia odit, homines odit. Fortasse quæris, quô commotus hoc scribam? Quidam nuper; (3) sed melius coram; quanquam ne tunc quidem. Vereor enim, ne id, quod improbo, eos sectari, carpere, referre, huic, quod quâm maximè repugnet. Quisquis ille, qualiscunque, sileatur, quem (4) insignire exempli nihil, non insignire humanitatis plurimùm refert. *vale.*

EPIST: V. *Plinii* Ex lib: 9.

Argum. *Plinius alterius exempl) suadet Juniori remittenda quædam filio, neque semper utendum severitate, cùm omnes homines aliquô errore ducantur.*

Plinius Juniori suo S.

CAstigabat quidam filium suum, quod paulò sumptuosiùs equos, & canes eme-

(2) suis vitiis, cum aliena acerrimè insectentur (3) tanquam incipit describere aliquem, qui aliorum vitia acriter flagellaverat, sua verò sibi indulgebat. Postea verò desistit scribere, & dicit melius fore, si idem dicat datâ occasione; sed & hoc non debere fieri censet, ne contra suum consilium videatur facere. (4) declarare nihil prodest,

emeret: huic ego, juvene digresso, heus tu, nunquamne fecisti, quod à Patre corripi posset? fecisti dico. Non interdum facis, quod filius tuus (si repente Pater ille, tu filius) pari gravitate reprehendat? Nonne omnes homines aliquô errore ducuntur? non hic in illo sibi, in hoc alius indulget? Hæc tibi admonitus immodicæ severitatis exemplô, pro amore mutuo scripsi, ne quando tu quoque filium tuum acerbiùs duriùsque tractares. Cogita & illum puerum esse, & te fuisse, atque ita hôc, quod es Pater, utere, ut memineris & te hominem esse, & hominis Patrem. *vale.*

EPIST: VI Senecæ No LXI.

Argum: *Seneca scribens ad Lucilium, svadet vitam immutandam, cogitandamque mortem, uti semper imminentem, & utique venturam.*

Seneca Lucilio S.

Desinamus, quod voluimus esse. Ego certè id ago senex, non eadem velle, quæ puer volui. In hoc unum eunt dies, in hoc noctes: hoc opus meum est, hæc cogitatio: imponere veteribus malis finem. Id ago, ut mihi instar totius vitæ, sit dies. (1) Nec, me-

(1) nec hunc diem, quem censeo esse ultimum vitæ totius, in voluptatibus transigo:

me-hercules, tanquam ultimum rapio, ſed ſic illum aſpicio, tanquam eſſe vel (2)ultimus poſſit. Hôc animô tibi hanc epiſtolam ſcribo, tanquam cùm maximè ſcribentem mors evocatura ſit. Paratus exire ſum, & ideo fruor vitâ: quia quamdiu futurum hoc ſit, non nimis(3) pendeo. Ante ſenectutem curavi, ut benè viverem, in ſenectute, ut benè moriar. Benè autem mori, eſt libenter mori. Da operam ne quid unquam invitus facias. Quidquid neceſſe eſt, futurum eſt. Repugnanti, non volenti neceſſitas eſt: in volente neceſſitas non eſt. Jta dico, qui imperia libens excipit, partem acerbiſſimæ ſervitutis effugit, facere quod nolit. Non qui juſſus aliquid facit, miſer eſt, ſed qui invitus facit. Jtaque ſic animum componamus, ut quidquid res exiget, id velimus; & imprimis finem noſtri ſine triſtitia cogitemus. Ante ad mortem, quàm ad vitam præparandi ſumus. Satis (4) inſtructa vita eſt; ſed nos inſtrumentorum ejus avidi ſumus. Deeſſe nobis aliquid videtur,

&

(2) ſed eum ſic perago, ut optimus eſſe poſſit. (3) non ſum anxius. (4) in vita ſunt multa bona, quæ homines inſatiabiliter appetunt.

& ſemper videbitur. Ut ſatis vixerimus, nec anni, nec dies facient, ſed animus. Vixi, Lucili cariſſime, quantum ſatis erat: mortem plenus expecto. *vale.*

Exemplum.

Amicus Amico ſvadet, ut Juri civili navet operam

Audio te, vir optime, tecum inire rationem, cuinam ſtudiorum generi te tradas. Tu verò, ſi amici conſilium admittis, ſvadeo, ut animum tuum ad Juris civilis ſcientiam adjungas. Quid enim honeſtius hôc ſtudiô aut dici, aut fingi poteſt? Hôc poteris ſuccurrere pupillo, defendere viduam. Quid porrò neceſſarium magis? tolle è medio Jus civile, & omnes Urbes ſubverteris, omnes Rerumpublicarum formas confuderis. Non, opinor, ignoras, quid dicat Cicero in oratione pro Cluentio: quod hoc vinculũ ſit Civitatis, hoc fundamentũ libertatis. Ut enim corpora noſtra ſine mente, ita Civitas ſine legibus, ſuis partibus, & nervis, & ſanguine, & membris uti non poteſt. Audi

verò quid dicat idem Orator pro Cinna: Nihil in Civitate, inquit, tàm diligenter retinendum, quàm Jus civile quô sublatô, nihil cuiquam exploratum esse potest, quid suum, quid alienum sit. In hoc enim incumbit Jus civile, ut optima Civitas constituatur, Alcinoo authore. En habes Juris civilis necessitatem. Jam verò quantum adferat iis, qui ei præsunt, honoris, gratiæ, dignitatis, quis ignorat? & ut alios omittam, quantum splendoris ars hæc Mutio Scævolæ attulit, ut cujus domus verum oraculum Civitatis Romanæ dicta est? Sabinus quidam angustæ rei familiaris, propter Juris civilis studium à Tiberio Cæsare in Equestrem ordinem jam grandis natu, & fermè quinquaginta annorum, exceptus est. Cajus Cassius Longinus sub eodem Tiberio in maximo honore habitus est; sub Claudio Præfectus Syriæ creatus. Quod si quæstum quoque ambis, nulla est ars quæstuosior: id quod versiculus ille, licet in syllaba una vulgo vitiosus, satis arguit: Dat Galenus opes, & Sanctio Justiniani. Quid, quod re ipsâ vides nullum

quan-

quantumvis mediocriter juris peritum, rei familiaris inopiâ laborare? Nec verò est, quod te difficultas deterreat, studium istud admodum facile est, si quis illud, disciplinis aliis instructus, adeat. Tu verò cum sis lingvarum & literarum calentissimus, facundiâ & memoriâ prædítus, quid quæso difficultatis persensurus es? Accedit huc, quod totum istud Jus in certos, nec illos innumeros libros relatum est; quod si perdidiceris (perdisces autem, si ingenium intenderis:) tantum non alter Scævola futurus es. Hic quoque certum aliquem scriptorem elige: nec fac, ut plerique faciunt, qui jam illius, jam istius Authoris intrepretamenta sequentes, & ipsi incerti sunt, quos sequantur, & auditores multò incertiores abeunt. Denique est mira quædam in cognoscendo Jure civili svavitas & delectatio. Nam (ut Ciceronis verbis utar) si quem aliena studia delectant, plurima & in omni Jure civili, & in Pontificum libris, & in XII. tabulis antiquitatis effigies, quod & Romanorum prisca vetustas cognoscitur, & actionum genera quædam majorum con-

sve-

ſvetudinem vitamque declarant. Age igitur, cum Juris civilis ſtudiô nullum ſit honeſtius, nullũ magis neceſſarium, nullum utilius, facilius, denique jucundius, Coræbo (ut ajunt) ſtultior eris, ſi non ad hoc ſtudium animum tuum appuleris. *vale.*

FORMULÆ

Reſponſionum ad Epiſtolas Vario Epiſtolarum Generi accommodæ.

Reſp: *Ad Conſolatorias.*

Plinii: Commendas mihi Julium Naſonem canditatum. Naſonem mihi? quid ſi me ipſum? fero tamen & gnoſco. Eundem tamen commendaſſem ibi, ſi te Romæ morante ipſe abfuiſſem. Habet hoc ſolicitudo, quod omnia neeſſaria putat; tu tamen, cenſeo, alios oges, ego precum tuarum miniſter, djutor, particeps ero. *Vale.*

Jtem Quid ego audio? vis tibi ignoſci, quod me tuis commendatitiis Literis oneras. Jmò ſic interpretor, ingens beneficium abs te datum, qui tai viro me conciliaris *&c.*

Ciceronis Rurſum iſtum amicum tuum, de quo iterum ad me ſcribis, adjuvarem, quantum poſſem, etiam ſi ab eo læſus eſſem, cum te tantopere videam ejus causâ laborare. Cum verò & ex tuis Literis, & illius ad me miſſis intelligam, & judicem magnæ curæ ei

P ſalu-

ſalutem meam fuiſſe, non poſſum ei non amicus eſſe, neque ſolum tuâ commendatione, quæ apud me, ut debet, valet plurimum, ſed etiam voluntate ac judiciô meô. &c.

e. g. Quid poſſim tu videris. Quis ſit exitus rei futurus, fortunæ in manu eſt. Jllud tamen efficiam, ut Laurentius intelligat noſtram amicitiam haud-quaquàm vulgarem eſſe.

vel. Et tu diligenter commendas hominem, & ille mihi viſus eſt dignus, cui tantopere faveas. Sed temporum iniquitas in cauſa fuit, quò-minus licuerit illi tantum præſtare, quantum volebamus. &c.

Reſp: *Ad Commendatitias.*

Cicero reſpondet Sulpicio, cujus Epiſtola eſt inter Conſolatorias, ſcripta in Obitu Tulliæ Ciceronis Filiæ, quam prius legi opportunè ſvaſerim, ut mox legenda facilius intelligatur. Præſertim quod hanc-ipſam nullis notis illuſtratam hìc poni voluerimus. Reperitur autem hæc Epiſtola. lib: 4. Famil. Nro: VI.

M.T.C. Serv. Sulpicio S.D.

Ego vero, Servi, vellem, ut ſcribis, in meo graviſſimo caſu affuiſſes.

Quan-

Quantum enim præſens me adjuvare potueris & conſolando, & propè æquè dolendo, facile ex eo intelligo, quod literis, aliquantùm acquievi. Nam & ea ſcripſiſti, quæ levare luctum poſſent, & in me conſolando non mediocrem ipſe animi dolorem adhibuiſti. Servius tamen tuus, patris imitatus amorem, omnibus officiis, quæ illi tempori tribui potuerunt, declaravit, & quanti ipſe me faceret, & quàm ſuum talem erga me animum tibi gratum putaret fore: cujus officia jucundiora licet ſæpe mihi fuerint, nunquam tamen gratiora. Me autem non oratio tua ſolum, & ſocietas penè ægritudinis, ſed etiam auctoritas conſolatur. Turpe enim eſſe existimo, me non ita ferre caſum meum, ut tu, tali ſapientiâ præditus, ferendum putas. Sed opprimor interdum & vix reſiſto dolori, quod ea me ſolatia deficiant, quæ cæteris, quorum mihi exempla propono, ſimili in fortu na non defuerunt. Nam & Q. Maximus, qui filium Conſularem, clarum virum, & magnis rebus geſtis, amiſit; & L. Paulus, qui duos ſeptem diebus; & veſter Gal-

Gallus; & M. Cato, qui summô ingeniô, summâ virtute filium perdidit, iis temporibus fuerunt, ut eorum luctum, ipsorum dignitas consolaretur ea, quam ex Republica consequebantur. Mihi autem, amissis ornamentis illis, quæ ipse commemoras, quæque eram maximis laboribus adeptus; unum manebat illud solatium, quod ereptum est. Non amicorum negotiis, non Reipublicæ procuratione impediebantur cogitationes meæ: nihil in Foro agere libebat: adspicere Curiam non poteram: existimabam, id quod erat, omnes me & industriæ meæ fructus & fortunæ perdidisse. Sed, cum cogitarem hæc mihi tecum, & quibusdam esse communia, & cum frangerem jam ipse me, cogeremque illa ferre toleranter, habebam, quò confugerem, ubi conquiescerem, cujus in sermone & svavitate omnes curas doloresque deponerem. Nunc autem hoc tam gravi vulnere, etiam illa, quæ consanuisse videbantur, recrudescunt. Nonenim, ut tùm me â Republica mæstū domus excipiebat, quæ levaret; sic nunc domo mærens ad Rempublicā confugere possū,

ut

ut in ejus bonis conquiescam. Jtaque & domô absum & Forô, quod nec eum dolorem, quem à Republica capio, domus jam consolari potest, nec domesticum Respublica. Quò magis te expecto, teque videre quàmprimùm cupio. Major mihi levatio afferri nulla potest, quàm conjunctio consvetudinis sermonũque nostrorũ: quanquã sperabã tuum adventum (sic enim audiebam) appropinquare. Ego autem cum multis te expecto quàmprimum videre, tùm etiam ut ante commentemur inter nos, quâ ratione nobis traducendum sit hoc tempus, quod est totum ad unius voluntatem accommodandum, & prudentis & liberalis, & (ut perspexisse videor) nec à me alieni, & tibi amicissimi. Quod cum ita sit, magnæ est tamen deliberationis, quæ ratio sit ineunda nobis non agendi aliquid, sed illius concessu & beneficiô quiescendi. *vale.*

Jtem Mihi autem videtur acerba semper, & immatura mors eorum, qui imortale aliquid parant. Nam qui voluptatibus dediti, quasi in diem vivunt, vivendi causas quotidie finiunt, qui verò posteros cogitant, & memoriam sui

operibus extendunt, his nulla mors non repentina eſt, ut quæ ſemper inchoatum aliquod abrumpat. *&c.*

Item Me in ſummo dolore maximè conſolatur ſpes, quam ex tuis rebus capio, quod valde ſuſpicor, fore, ut infringatur hominum improbitas & conſiliis tuorum amicorum, & ipsâ die, quâ debilitantur cogitationes & inimicorum & proditorum. Facile ſecundo loco conſolatur me recordatio temporum meorum, quorum imaginem video in rebus tuis. *&c.*

Reſp: *Ad Excuſatorias.*

Politiani Tantum mihi dolorem cruciatumque errata ætatis tuæ attulerunt, ut non ſolum animus à factis, ſed aures quoque à commemoratione eorundem abhorreant. Verùm hæc cùm ætatis non dum benè compoſitæ eſſe fatearis, æquè ætatis hujusmodi, ac errandi rationem præteriviſſe jam (ut conjicio) optimô argumentô, confeſſione tuâ, conaris mihi perſvadere. Faxint id Superi. Ego quidem & me in eo, & te perſvaſum haberi volo in hoc, quod à me, ut optas, tenerrimè amaris. *vale.*

Item

Item Etsi justâ & idoneâ usus es excusatione intermissionis literarum tuarum, tamen ne id sæpius facias rogo. Imò cùm imprimis tuas desiderem literas, noli committere, ut excusatione potius expleas officium scribendi, quàm assiduitate literarum.

e. g. Antea tibi non nihil irascebar, nunc sum vehementer iratus; nec injuria. Hæc enim tua tàm diligens purgatio effecit, ut videaris, aut parum nosse meum ingenium, aut certè de amicissimo homine non amicissimè sentire. *&c.*

Vel Egonè tam ferox sim, ut id ab amico molestè feram, quod si faciat æmulorum quispiam, non injuriâ sed officiô me affectum putem? *&c.*

Resp: *Ad Gratiarum-actorias.*

Ciceronis Quòd autem grata tibi mea erga te studia scribis esse, facis tu quidem abundantiâ quâdam amoris, ut etiam grata sint ea, quæ prætermitti sine nefario scelere non possunt. *&c.*

Item Officium meum erga Rhodonem, cæteraque mea studia, quæ tibi ac tuis præstiti, tibi homini gratissimo, grata esse vehementer gaudeo; mihique scito in

to in dies majori curæ esse dignitatem tuam, quæ quidem à te ipso integritate & clementiâ tuâ sic amplificata est, ut nihil addi posse videatur. *&c.*

Item Quanquam gratiarum actionem à te non desiderabam, cum te reipsa atque animô scirem esse gratissimum, tamen (fatendum est enim) fuit mihi perjucunda. Sic enim vidi, quasi ea, quæ oculis cernuntur, me à te amari. Dices quid antea? semper quidem, sed nunquam illustrius. *&c.*

Resp: *Ad Gratulatorias.*

e. g. Gratulatio tua & si mihi probatissima, quod ab optimo sit animo, tamen hoc mihi multò jucundius est & gratius, quod in summa paucitate amicorum, propinquorum ac necessariorum, qui verè saluti meæ faverent, te cupidissimum mei, singularem mihi benevolentiam præstitisse cognovi. *&c.*

Vel. Si quid esset in rebus meis unione vel candidius vel pretiosius, hâc notâ signarem eum diem, quô singulari votorum tuorum declaratione & augmentum maximum veteri amicitiæ nostræ, & cumulum gaudis meiis, aut

poti-

potius nostris, addidisti. Jam ego precor Superos, ut hoc gaudium, quod largiti sunt, nobis omnibus perpetuum esse velint.

Resp: *Ad Hortatorias.*

Epistola ex lib:4. Famil: Nro. VI.

Cicero scripserat intellexisse se ex Furnio virtutem Planci in re militari, & justitiam in administranda Provincia. Deinde eum hortatus fuerat ad curam & defensionem Patriæ. Itaque respondens Plancus dicit ea sibi fuisse gratissima, quæ Cicero ex verbis Furnii ad se scripserat. Quod autem ipse antea non scripsisset, id factum dicit propterea, quod intellexerat Ciceronem profectum in Græciam, nec prius cognovit eum rediisse, quàm Cicero ad eum scripsit. Postremò pollicetur se in omnibus obtemperaturum præceptis ipsius Ciceronis, ostenditque optimas & justissimas causas esse, quare id facere debeat; se tamen dicit esse sollicitum, & de rebus Urbanis & de ipsa Gallia Cisalpina propter discordias, quæ erant inter ipsos Romanos.

Plancus Ciceroni S. D.

Gratissimæ mihi Literæ tuæ fuerunt, quas ex Furnii sermone te scripsisse animadverti. Ego autem præteriti temporis excusationem affero, quod te pro-

profectum audieram, nec multò ante rediisse, quàm ex epistola tua cognovi; nullum enim in te officium nec minimum quidem sine maxima culpa videor posse præterire, in quo tuendo habeo caussas plurimas vel pristinæ necessitudinis, vel meæ à pueritia observantiæ; vel tui erga me mutui amoris. Quare, mi Cicero, quod mea tuaque patitur ætas, persvade tibi te unum esse, in quo ego te colendo primam mihi constituerim sanctitatem. Omnia igitur tua consilia mihi non magis prudentiæ plena, quæ summa est, quàm fidelitatis, quam ego ex mea conscientia metior. Quare si aliter sentirem, certè admonitio tua me reprimere, aut si dubitarem, hortatio impellere posset, ut id sequerer, quod tu optimum putares. Nunc verò quid me in aliam partem trahere possit? quæcunque in me bona sunt aut fortunæ beneficiô tributa, aut meo labore parta, & si à te propter amorem carius sunt existimata, tamen vel inimicissimi judiciô tanta sunt, ut præter bonam famam nihil desiderare videantur. Quare hoc unum tibi persvade, quantum viribus eniti, consi-

liô providere, auctoritate monere potuero, hoc omne Reipublicæ semper futurum; non est ignotus mihi sensus tuus; neque si facultas optabilis mihi quidem tui præsentis esset, nunquam à tuis consiliis discreparem. Nec nunc committam, ut ullum meum factum reprehendere jurè possis. Sum in expectatione omnium rerum, quid in Gallia Citeriore, quid in Urbe geratur, mense Januario ut sciam. Interim maximam hic sollicitudinem curamque sustineo, ne inter aliena vitia agentes nostra mala suam putent occasionem. Quod si proinde; ut ipse mereor, mihi successerit; certè & tibi, cui maximè cupio, & omnibus viris bonis satisfaciam. Fac valeas, meque mutuò diligas.

e. g. Cum ego id ipsum, destinassē, addidisti calcar sponte currenti. Video quàm faveas gloriæ meæ. Jtaque dabo operam, ut non solum judicio de me tuo, verùm etiam studio satisfaciam. *&c.*

vel. Strenuè tu quidem suffundis aquam, ut ajunt, sed mihi magis opitulatore opus est, quam hortatore. Quin ipse capessis; ad quod me instigas? Si videres vires meas esse pares negotio, nihil

nihil esset opus, qui adderes animum. Animi satis est quidem, si tantundem esset virium. *&c.*

vel. Ego tuis auspiciis rem fortiter aggrediar, & quantum in me est, erectum præstabo animum, tantùm ut fortibus ausis aspirent Superi: aut etiam tu ipse quemadmodùm addis animum, ita possis & successum rei dare.

vel. Ut forti militi tubæ sonitus ad prælium áddit animos, ita tua exhortatio me, jam satis animatum, reddit alacriorem; Nam qui monet, quasi adjurat, quemadmodum ait Plautus, ita qui hortatur, qui acclamat, qui applaudit. *&c.*

Resp: *Ad Invectivas.*

e. g. Interpretor ego mihi, te, quæ facis, optimô animô facere. Cùm mihi exploratiùs nihil esse potest, quam animus tuus erga me. Sed tamen (ut ingenuè dicam, quod sentio) videris mihi quædam facere, non ausim dicere inconsultius, virorùm prudentissimus; non dicam inimicè, vir sincerissimæ fidei; ast tamen parum circumspectè. Non dubito, inquam, quin ista facias amicô

animô

animô, ſed tamen mihi gratulor inimicis meis non eſſe tantum ingenii ad lædendum. Probas denique tuipſe te invehi in me pro amore mei rerumque mearum; quid refert, utrum me amicè jugules, an inimicè? *&c.*

vel. Quod mandata tua ita, ut tu juſſeras, & ego receperam, non dum peregi, facultas mihi hactenus defuit, non voluntas. Jſtis autem ſuſurronibus, imò maledicentiſſimis nebulonibus, qui, quod pro invidia fortunæ noſtræ, ſemper aliqua comminiſcuntur, tibique occaſionem me apud te criminandi offerre videntur, nihil eſt, quod imprecer, niſi ut penitùs obmuteſcant. *&c.*

Reſp: *Ad Lamentatorias.*

Ciceronis. Ut illa ſecunda moderatè tulimus, ſic hanc non ſolum adverſam, ſed etiam funditus everſam fortunam ferre debemus, ut hoc ſaltem in maximis malis conſequamur, ut mortem, quam etiam beati contemnere debebamus, propterea, quod nullum ſenſum ſit habitura, nunc ſic affecti non modo contemnere debeamus, ſed etiam optare. Tu ſi me diligis, fruere iſtô otiô,

tibi-

tibique persvade præter culpam ac peccatum, quo semper caruisti & carebis, homini accidere nihil posse, quod sit horribile, aut pertimescendum. *vale.*

e. g. Tenè sic angi, sic animo jacere? Quorsum tandem attinet, ut te afflictes? an ista malum lenient? an non potiùs exacerbabunt? Quorsum attinet, tam miserè deplorare, quod mutari non potest. Ubi nunc est illa animi tui constantia? ubi literæ, quibus aliorum dolorem lenire consveveras? Aliis mederi potuisti, tibi nihil prodes. Jpse tibi nunc medicus sis, oportet. Cur frustra & teipsum lachrymis, & amicos, querelis exanimas? Quæ est ista animi impotentia, quæ mollities? Num te virum esse oblitus es? Jtane ista tam graviter fers? Quasi verò ista tibi contigerint, aut tanta sint, ut aliis non multò etiam acerbiora evenerint. Quid vel tuô animô, vel doctrinâ indignius, quàm sic angi, sic seipsum abjicere, quomodo ne mulier quidem ulla posset. Neque enim video, quem fructum adferre possint inanes lachrymæ & querimoniæ. Nam si ejusmodi malum judicas, ut ad salutem

refle-

reflecti nequeat, cur luctu duplicas incommodum? si spes est, cur non eâ potius te sustentas? atque id agis, qua ratione quàmprimum ex istis malis queas emergere? Si desperas memineris illud: in istiusmodi conditione bonum animum dimidium adimere mali; sin speras, cur perinde tanquam in re desperatissima te maceras? *&c*.

vel. Cognovi ex literis tuis te tam graviter angi, ut ex luctu, quid tecum agatur, ignorare penitùs videaris. Deum immortalem! quid tibi vis? quin tu potius obduras, ac servas te rebus secundis? Cur tu & amicis luctum auges, & inimicis voluptatem præbes, & te ipsum indignè conficis?

Tu contra audentior ito, quò tua te fortuna sinet.

Ducunt volentem fata, nolentem trahunt. Tutum ista te conscientia, iste animus, ista virtus, istæ literæ, ista rerum gestarum memoria te comitabitur, caveto, putes exulem ubicunque locorum, quocunque sub cælo erit vivendum, etiamsi ultra Getas relegatus esses, Sed quid ego sus Minervam? Facit sanè non loquacitas mea, sed benevolentia longiores epistolas. *vale*.

Resp:

Reſp: *Ad Laudatorias.*

Ciceronis Si laudatus à te laudare te cepero, vereor, ne non tam proferre judicium meum, quàm referre gratiam videar. Omnia ſcripta tua pulcherrima exiſtimo, maximè tamen illa, quæ de nobis. Accidit hoc una eademque de cauſa; nam & tu quæ dé amicis, optimè ſcribis, & ego quæ de me, ut optima lego. *&c.*

Item Laudem pariter & gratias agam? Neutrum ſatis poſſum, & ſi poſſem timerem, ne arrogans eſſet, ob ea laudare, ob quæ gratias agerem. Unum illud addam: omnia mihi tantò laudabiliora viſa, quantò jucundiora, tantò jucundiora, quantò laudabiliora erant &c.

e. g. Laudes iſtas, quas affatim in me congeris, ſic ecquidem interpretor, quaſi non me depingere volueris, qualis ſim, ſed optimum exemplar præſcribere, qualis eſſe debeam. *&c.*

Vel Hoc effecit iſta tua laudatio tam magnifica, ut jam mihi minus incipiam placere, qui planè videam, quantum abſim ab iſta perfectæ virtutis imagine *&c.*

Reſp:

Resp: *Ad Monitorias.*

Plinii Epistolarum, quas mihi, ut ais, apertô pectore scripsisti, oblivisci me jubes; at ego nullarum libentius memini. Ex illis enim vel præcipuè sentio, quantopere me diligas, cum sic egeris mecum, ut solebas cum tuo filio. Nec dissimulo hoc mihi jucundiores fuisse, quod habebam bonam causam, cum summo studio curassem, quod tu curari volebas. Proinde etiam, atque etiam te rogo, ut mihi semper eadem simplicitate, quoties cessare videor, nunquam enim cessabo, convicium facias. Quod & ego intelligam à summo amore proficisci, & tu, non meruisse me, gaudeas. *vale.*

e. g. Raras tuas quidem (fortasse enim non perferuntur) sed svaves accipio literas, vel quas proximè acceperam, quàm prudentes, quàm multi & officii & consilii. Et si omnia sic constitueram mihi agenda, ut tu admonebas, tamen confirmantur nostra consilia, cum sentimus prudentibus, feliciterque svadentibus idem videri *&c.*

Q Resp:

Resp: *Ad Petitorias.*

Ciceronis Quod mecum pér literas agis, unam ob causam mallem, coram egisses. Non enim solum ex oratione, sed etiam ex vultu, ex oculis, ex fronte (ut ajunt) meum erga te amorem. perspicere potuisses. Nam cum te semper amavi, primum tuô studiô, post etiam beneficiô provocatus, tum his temporibus Respublica te mihi ita commendavit, ut chariorem habeam neminem. Literæ vero tuæ, tùm amantissimè, tùm honorificentissimè scriptæ, sic me affecerunt, ut non dare tibi beneficium viderer, sed accipere à te ita petente, ut inimicum necessarium tuum, me invito servare nolles, cum id nullô negotiô facere posses.

Plinii. Quod admones, gratias ago, quod rogas, queror. Admoneri enim debeo, ut sciam, rogari non debeo, ut faciam, quod mihi non facere turpissimum est. *&c.*

e. g Excusarem me profectò vel fratri hoc sanè tempore, sed arctior est amicitia nostra, quàm ut ullam patiatur exceptionem, quoties alterutrius seria res agitur. *&c.*